SEBASTIANI NICOLAVII A SOCIETATE JESU ORATIONES HABITAE IN...

Sebastian Nicolau

Digitized by Google

6
10-f
7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 A
47

Digitized by Google

R. C.

Digitized by Google

Digitized by Google

SEBASTIANI NICOLAVII

E SOCIETATE JESU

ORATIONES

HABITÆ

IN

ACADEMIA CÆSARAUGUSTANA.

Pro ſolemni Studiorum Inſtauratione ab anno M. DCC. LVII. ad annum M. DCC. LXI.

Cæſar-Aug. Apud JOSEPHUM FORT, Typog. Anno M. DCC. LXIV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOM · PROF · ROM · IHS

Digitized by Google

Digitized by Google

SEBASTIANI NICOLAVII IN ORATIONES SUAS AD ACADEMIAM CÆSARAUGUSTANAM

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

N*On dubito futuros eſſe pleroſque*, Cæſarauguſtana Academia, *qui totum hoc meum in edendis Orationibus conſilium reprehendant; quorum alteri Latinis litteris bellum indi-*

Digitized by Google

xiſſe videantur ; alteri Oratorem, ſi nullam aliam præter eloquentiæ laudem afferat, omninò contemnere. Nam & multi ſunt, qui vernacula tantùm probare ſe dicant ; multi etiam, qui ab omni prorſus ſcriptore, rerum potius cognitionem, atque doctrinam, quam verba, atque elegantiam requirant. Quam ego hominum opinionem ferrem æquo animo, ſi aut illi ſibi conſtarent, aut ea dicerent, quæ eſſent cum

com-

communi litterarum utilitate coniuncta. Qui enim Latina faſtidiunt, iidem Gallica, Italica, & ſi quæ ſunt alia peregrina, & exotica, ut in habitu, cultuque corporis, ſic etiam in libris tractant, & legunt cupidiſsimè. Neque verò idcircò facere ſunt exiſtimandi, quod aut noſtris, aut cuiuſcumque gentis litteris, ſive plura, ſive utiliora comprehenſa ſint; cum ſciamus Latinum hac in re, multum reliquis ſermonibus ante-

celle-

cellere. Nullum enim poteſt, aut orationis, aut humanioris doctrinæ genus proferri, in quo nobis non ſint à latinis Auctoribus exempla repetenda: quæ profectò quantum valeant, quantumque utilitatis conferant, ſciri non poteſt niſi ab eo, qui cum diutiſsimè, diligentiſsimèque in illis evolvendis operam ſuam collocaverit; poſsit & in aliis, quæ recta, quæ contra prava ſunt iudicare; & ipſe per ſe ſcribendo aſſequi meliora. Ego

verò

Digitized by Google

verò eos, ea potiſsimum de cauſa exiſtimo, latinæ linguæ faſtidium præ ſe ferre, quòd hac opinione ſperent tueri ſe poſſe, atque effæminatam fracti animi mollitiem obtegere; cupiantque de ſe ita iudicari; non labore deterritos, non ingenio, & induſtria deſtitutos, minus amaſſe latinas litteras; ſed quod eaſdem minus, aut utiles, aut neceſſarias, aut doctorum hominum ſtudiis dignas existimarint, ab iis colendis abſtinuiſſe. Quod

con-

Digitized by Google

contrà multò ſecus eveni-re nemo eſt, qui ignoret. Latinè enim ſcribere præ-ſertim ſi id fiat, uti fieri debet, elegantèr, ornatè, copiosè, magnæ eſt operæ negotium, magnique la-boris.

Atque in edendis li-bris, id habet præ verna-culo utilitatis latinus ſer-mo, quod ille ſuis, anguſ-tis quidem finibus conti-neatur, hic verò commu-nis ſit, & proprius quo-dammodo omnium gentium, ac populorum. Quod ſi non

mo-

modò ætatem hanc noſtram, ſed poſteritatem etiam ſpectemus, quis non videt quantam utilitatem afferat latinus ſermo? Cum enim nec ab uſu iam, aut ab arbitrio Populi cuiuſquam pendeat, & dominetur etiam in ſcientiis omnibus, ac diſciplinis; neque mutari, aut corrumpi diuturnitate poteſt, nec omninò deleri; quamobrem, & à pluribus, & longiori temporis intervallo Latina legentur, nec concident ullis temporum

vi-

Digitized by Google

viciſsitudinibus. Noſter autem hic ſermo, qui nunc viget, tametſi aptiſsimus ſit, ornatiſsimuſque (nihil enim repugno) dum tamen viget, poteſt, & uſu ipſo corrumpi, & deleri vetuſtate. Nam

Ut ſylvæ foliis pronos mutantur in annos
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas.
Et iuvenum ritu florent modò nata, vigentque.
Debemur morti nos, noſtraque ....
.... mortalia facta peribunt.
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,

Quem

Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi. (*)

Sed moventur, Hiſpani ſcilicet homines, Gallorum exemplo, qui ſcribendis vernaculè libris, maximam linguæ ſuæ commendationem videntur comparaſſe. Id verò eſt eiuſmodi, ut Hiſpanos pœnitere iam debeat, quod Antonius Auguſtinus, quod Ludovicus Vives, quod Melchior Canus, quod Joannes Mariana, quod Hieronymus Blancas, quod

alii

(*) Horat. in Art. Poet.

alii innumeri cogitationes ſuas latino potius, quam vernaculo ſermone mandaverint? Atqui nunquam vernaculis litteris, tantam, & ſibi, & ſuis ſcriptis, & Hiſpano nomini gloriam, famamque comparaſſent, quantam videmus eos latinis litteris aſſequutos. Nam & quod eà lingua ſcripſerint, quæ multo labore diſcenda eſt, maiorem ſtudii ſui, & induſtriæ opinionem fecerunt; & quod eadem lingua ſit eruditis om-

nium

Digitized by Google

nium gentium hominibus cognita; plures in omni ætate lectores admiratoreſque invenerunt; id quod profectò ſperandum non eſſet, ſi alio ſermone uſi fuiſſent. Nam vel à nobis qui cultiorem, ut videmur, ſermonem habemus, & amamus, reſpuerentur; vel certè ab exteris hominibus, quibus ille ignotus omninò eſſet, ne attingerentur quidem. Quid verò? ſi non ii modò, quos recenſui, quique eo ſermone utebantur, qui non

mul-

multum à noſtro diſcreparet, ſed remotiſsimorum etiam ab noſtra ætate temporum ſcriptores, eo, qui tunc eſſet in uſu ſermone ſcripſiſſent? Profectò, aut in tenebris iacerent illi, aut eorundem lectio nobis eſſet, & graviſsima, & moleſtiſsima. Quod igitur à maioribus noſtris bono noſtro factum gaudemus, ut latino, id eſt, nobis noto ſermone ſcriberent, id nos ipſum ſcilicet poſteritati noſtræ invidebimus? Videndum eſt ne dùm ni-

mium

Digitized by Google

mium ſtudemus Hiſpanorũ gloriæ, parum, & hominum utilitati, & rerum noſtrarum cognitioni, & gentis noſtræ gloriæ conſulamus.

Nunc ad eos venio, qui nec oratorem audire, nec orationes legere volunt, quæ non ſint multarum rerum doctrina, atque eruditione refertiſſimæ; qui mihi quidem videntur non ſatis intelligere, quod ſit oratoris inſtitutum. Aliud eſt enim profectò Diſertationem, aliud Orationem ſcribere. Illa,

cum

cum unam rei, quam proponit, veritatem inquirat, & probet; multis, & coacervatis argumentis, Auctorumque teſtimoniis præcipuè nititur, neque ullum habet ſingulare, ac proprium dicendi artificium. Ita neque dilatat argumentum, neque res dicendo amplificat, nec motus excitat, nec figuris utitur gravioribus, nec ullum ſequitur florem, & orationis ornatum. At Oratori illud eſt propoſitum, ut non modò rem, de qua

diſ-

Digitized by Google

diſputat argumentis probabilem faciat, ſed etiam dicendo perſuadeat; qui cum id, de quo dicturus eſt, probè cognitum, atque perſpectum habuerit, argumentaque invenerit ad fidem faciendam idonea; tum verò totus eſt in iiſdem rebus collocandis, & diſponendis; atque ita ornandis, veſtiendiſque, aut verborum, aut ſententiarum luminibus, ut in Auditorum animos nihil tale ſuſpicantes, ſenſim irrepat: eoſdemque mi-

Digitized by Google

ra quadam dictionis ſuavitate teneat, ac demulceat, tandemque ad id quod vult, ſive amplectendum, ſive reiiciendum perducat. Tantumque abeſt, ut illam ſibi velit, eruditionis, aut reconditioris cuiuſdam doctrinæ famam dicendo comparare; ut etiam id fugiat, tanquam vitium in oratione maximum: ne ſcilicet Auditoribus anſam dederit exiſtimandi, aut ſe ſuas opes oſtentare dicendo velle, aut ingenii, doctrinæque lau-

dem

Digitized by Google

dem potius quærere, quam communem Auditorum utilitatem. Quamobrem hanc videmus dicendi rationem tenuiſſe ſemper, & qui Athenis, Romæque eloquentiæ principes extiterunt, & qui poſtea illorum in dicendo laudem æmulati ſunt. Horum ego cùm auctoritate, & exemplo; tùm præſertim iudicio Tuo Cæſaraugustana Academia *graviſsimo, & maximo, ſatis eorum, qui contra ſentiunt, opinionem refelli exiſtimo. Quod ſi Iſo-*

cra-

Digitized by Google

crates ille videbatur teſtimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere; & ſi Marcus Tullius cum laudabatur à Catone, vel reprehendi ſe à cæteris facilè patiebatur; quid me oportet facere, quem non modo dicentem tanta Academia benignè excepit, ſed etiam voluit, eaſdem Orationes, non alio quam Suo, id eſt auguſtiſsimo, atque eximio nomine apparere? Equidem cùm de Te Academia, Tuiſque gravißimis diſcipli-

na-

Digitized by Google

narum Profeſſoribus, ſumma omnia & egregia, quæ quidem, & de præſtanti ſcientiarum omnium officina, & de eruditiſsimis in omni doctrina viris poſſunt, veriſsimè prædicari intelligo; tum verò mirandum eſt profectò, quod ex illis tuis ſpatiis, atque exhedris, ut olim ex equo Troiano, Principes ſolùm in omni facultate viri extiterint etiam hoc tempore: quorum alii doctiſsimis editis libris ætatem illuſtrarent ſuam; alii Eccle-

ſiis

Digitized by Google

ſiis regendis, gubernandiſque præficerentur; alii etiam quorum arti, ac diſciplinæ ſingulari ſeſe maximorum Regum bona valetudo, ac vita committeret. Quibus ornamentis tantum Te excellere, atque eminere intelligunt omnes, quantum & dignitas Tua incredibilis, & urbis, in qua ſita es, nobilitas, & amplitudo poſtulare videtur. Quæ mihi omnia non poſſunt non eſſe iucundiſsima; præſertim cum videam fore, ut

ex

Digitized by Google

ex iſta Tua amplitudine, & dignitate, non nihil ſplendoris, & commendationis accedat Orationibus meis; quas & tunc, cum illas habui probari à Te maximè deſiderabam, & nunc quod in Tuo nomine appareant (quaſi quandam idcircò habeant veriſsimi operis notam) à doctis hominibus probandas eſſe confido. Illud certè aſſequar, quod unum in votis habeo, ut aliquod extet amoris erga Te mei, atque obſequii monumentum.

Fa-

Digitized by Google

Facultas R.P. Provincialis.

PEtrus Navarro Societatis Jeſu Præpoſitus Provincialis in Provincia Aragoniæ, poteſtate ad id mihi datâ à R. Adm. P. N. P. Laurentio Ricci totius Societatis Præpoſito Generali, facultatem facio, ut Opus, cui titulus eſt: *Sebaſtiani Nicolavii è Soc. Jeſu Orationes habitæ in Academia Cæſarauguſtana, &c.* eiuſdem Societatis gravium, doctorumque Hominum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has Literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Sancti Guillelmi die XX. Auguſti anno Domini M. DCC. LXIII.

Petrus Navarro.

Pro

Digitized by Google

Pro Scholis publicis

ORATIO I.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTEQUAM de inſtitutione puerili, ac de tota ratione tradendarum illi ætati litterarum, dicam ea, quæ & tempus præſens, cum complura ſunt, & à complurimis in utramque partem diſputata; & argumenti ipſius graviſsimi, atque ampliſsimi natura poſtulat; illud primum, Cæſarauguſtani,

Digitized by Google

ego vos oro , atque etiam obſecro , ut ne me fluctuans aliquod aut incertum dicendi genus, quod nonnulli quidem Oratores ſolent, ſequuturum eſſe ſuſpicemini , neve in animum inducatis , velle me cognitæ atque perſpectæ veritati adverſari : ſed quoniam ita ſe res habet , itaque rem ſe habere, quemadmodum dico , ſentio , latinè ac ſimplicitèr , ſine fuco ac fallaciis more maiorum loqui me putatote. Deindè illud vellim, vobis omnibus eſſe perſuaſſum , me, nec meâ privatâ , nec communi noſtrorum hominum , ſociorumque utilitate adductum , ut pro Scholis publicis , contra privatam , ac domeſticam puerorum inſti-

Digitized by Google

inſtitutionem verba facerem : quin etiam hoc vobis contrà promitto, atque ante denuntio, neque nunc primùm, neque in omne reliquum vitæ meæ tempus, aut privati cuiuſdam commodi mei, aut gloriæ, aut nominis, ſed communis tantum utilitatis ac Reipublicæ, ut in hoc vitæ genere, à me habendam eſſe rationem. Et nunc verò, cum multa mihi verſarentur ob oculos argumenta, è quibus poſſem in hac libera dicendi ratione, aliquam ingenii fortaſſe, aut doctrinæ famam ſperare : mihi tamen antiquius, ac potius eſt, Scholarum publicarum, veſtram Cæſarauguſtani, & bonorum omnium cauſam ſuſcipere, quam lau-

Digitized by Google

di & gloriæ meæ inſervire. Extremum eſt, quod me à vobis omnibus exorare, æquum cenſeo; ut quo ego hæc dicam benevolo, partiumque ſtudiis libero animo, eodem ipſa à vobis accipiantur: quod ſi à vobis obtinuero, illud efficiam profectò, ut Scholarum publicarum inſtitutionem, doctrinæ domeſticæ, ac privatæ anteponendam eſſe exiſtimetis.

Ac mihi quidem de univerſa puerili inſtitutione cogitanti, illud videtur dici poſſe veriſsimè, eam ſcilicet eſſe præferendam, quæ pluribus ad litteras capeſſendas abundarit & incitamentis, & præſidiis. Nec enim pueros eos eſſe videmus, qui, ubi lenocinia, &

con-

Digitized by Google

condimenta quædam, & illecebræ à rebus abſint, aut certâ ratione moveantur, aut conſilio gubernentur, aut aliis quibuſdam ſive ab honeſtate, ſive à fructu diſciplinarum petitis ſubſidiis ſuſtententur. Non ea eſt puerorum conditio, non ea ætas, non ea natura; nihil ſerium amat, nihil grande cogitat, nihil, ſi ipſa ſibi uni relinquatur, tenet firmum atque conſtans. Nam illud, quam ſit verè prudentèrque ab Horatio dictum: (*)

Reddere qui voces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram

Col-

(*) Horat. in Art. Poet.

Digitized by Google

Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.

quam, inquam, ſit dictum prudentèr, nemo, & ipſe in ſe, & in aliis non ſæpè expertus eſt. Ejuſmodi ergo eſt illa ætas, ut & facilè appetat, & facilè rurſus appetita faſtidiat. Videas enim pueros & iraſci, & placari: & indignari, & miteſcere: & torpere & geſtire: & exiguo temporis ſpatio in omnes ſe formas, ac figuras convertere. Quid hoc ita Quoniam qui rationem non ſequantur ducem, & impetu ſemper & cupiditate ferantur, ii vix poſsint diu in eadem animi affectione manere. Quod quidem, cúm in omni puerorum vita

ac

Digitized by Google

ac ludo etiam ipſo eveniat; túm veró in iis exercitationibus evenire maximè neceſſe eſt, quæ laboris aç moleſtiæ multum habeant; delectationis, ac voluptatis parùm. Si enim vix hominem reperias ita robuſtum, ac conſtantem, quem diuturnus labor, idemque moleſtiſsimus non frangat: quid pueris futurum putas, cum in tam difficili, tam improbo, tam ingrato, tam multiplici ſtudio verſentur? Nam illud ſcitote, ſiquis fortè per ætatem minùs iam meminit, artem Grammaticam, aut Rhetoricam ediſcere, non levis eſſe cuiuſdam, ſed graviſsimæ operæ negotium: multòque plures à nobis olim con-

coc-

coɥtas fuiſſe, nunc à pueris in hoc ſtudio devorari moleſtias, quam in alia qualibet arte, & inſtitutione quamvis graviſsima.(*a*) Quid? Cujuſmodi ſunt res illæ Grammaticæ quæ pueris traduntur? quam minu-

(*a*) ,, Todos os primeiros eſtudos ,, naturalmēte dezagradam, porque ,, ſam canſados ::: Un omem conſu- ,, mado nos-eſtudos, quando eſtuda ,, uma lingua eſtrangeira,v.g. Gre- ,, go, Ebraico,ou Caldaico nam po- ,, de menos,que enfaſtiar-ſe daque- ,, les primeiros elemētos.Tem gran- ,, de dezejo de ſabe-la ; conhece o ,, metodo de aprender a dita lingua: ,, reconhece a neceſsidade,que tem ,, de la , para intender as Eſcrituras ,, Santas : contudo iſo , quando ſe- ,, aplica a ela , mil vezes deita fóra ,, os meſmos livros , e nam-ſe-acha ,, con rezoluſam de tornar a ſervir- ,, ſe de-les. Barb. Car. 3. pag.79.

Digitized by Google

minutulæ ? quam exiles ? quam ieiunæ ? quam ſine ullo ſapore ac voluptate ? nonne cuilibet natu paulo maiori, etſi in aliis eſſet artibus verſatus, ſi ediſcendæ eſſent, nauſeam ac faſtidium crearent ? An vero Hieronymus ille non erat idem vigiliarum, ſtudii, laboris, moleſtiæ patientiſſimus, idemque omnibus omnium litterarum adminiculis inſtructiſsimus ? Et tamen ipſe Hieronymus, hebraicæ linguæ ſtudium tam ſibi moleſtum ac durum viſum fuiſſe teſtatur, ut cum illud ſuſcepiſſet, caderet ſæpè animo, omnemque diſcendi ſpem & cupiditatem abiiceret. Et credimus pueros, niſi conquiſitis undecumque ſubſidiis,

Digitized by Google

& incitamentis, illum eſſe laborem laturos, quem Hieronymus tantus vir, tantâ conſtantiâ, tantâ doctrinâ præditus vix ſuſtinebat? Ergo id, quod neceſſe eſt, inter nos conveniat; eam quidem eſſe præſtantiorem inſtitutionem, quæ pluribus ad minuendum puerilem laborem incitamentis, ac ſubſidiis abundarit: quod ſi mihi vobiſcum conveniat, vix eſt amplius cur dicam. Acta, tranſacta res eſt: quî enim in hac parte poteſt domeſtica, atque umbratilis doctrina cum publica inſtitutione conferri? (*b*)

Quid

(*b*) PP. Trevoltienſes ad menſem Mart. 1734. pag. 413. Cum ſermonem inſtituant de Epiſtola Octa-

Digitized by Google

Quid amplius audire vultis, Cæſarauguſtani? Etiamne expectatis, dum, quæ ſint in utraque inſtitutione incitamenta, dum, quid quæque incitamentorum valeant ad animos pueriles excitandos, à me

---

vii Piceni, quæ inſcribitur: *Vantaggi della Scuola publica ſopra la privata, &c.* Ita ordiuntur: „ L' Auteur anonyme, & deguisè apparemment „ ſous le nom d' *Ottavio Piceno* à raſſemblè dans ce petit ouvrage les „ raiſons, & les autorités de quantitè d' Ecrivains ſacrés & profanes, „ pour faire voir une choſe, dont il „ ſemble, qu' on ne ſe ſeroit jamais „ aviſé de douter; s'il n'y avoit quelque fois une mode paſſagere de „ revoquer en doute les ſentiments „ les plus raiſonables, & les plus reçûs. Cætera quæ prudentiſsimi Patres excerpunt, ejuſmodi ſunt, ut orationis locum habere poſsint.

Digitized by Google

me commemorentur, quò facilius, utra utri præferenda ſit inſtitutio, apud animos veſtros ſtatuatis? Facilem cauſæ meæ conditionem facitis. Vicimus profectò. Quid enim habet domeſtica illa inſtitutio, quod vehementer allicere animum poſsit? Fingite, quæſo, animis, anguſtum quoddam, ac ſubobſcurum cubiculum, quippè procul à viarum publicarum ſtrepitu, procul à domeſticorum turba poſitum: hùc ſe abdit Pædagogus, qui interea dum puerulum expectat, ad omnem ſe gravitatem, ac maieſtatem componit: ingreditur tandem puer incomptus, ac ſordidulus, ut pueri domi ſolent. Primo ſui Catonis aſpectu,

hæret

Digitized by Google

hæret triſtis , hæſitat , obriget, metu propè moritur : ubi ſe paulum recepit , vix præceptorem, chariſsimum ſcilicet diſcipulo, ſalutat , niſi ſi fortè nutu , ac muſſitatione neſcio quâ : miſer , capite , vultu , oculis deiectis , & in terram defixis ſtat , pallet , horret , dum imperium expectat Pædagogi. Quid eſt , per veſtram fidem , Cæſarauguſtani , ex his omnibus , quod pueri animum poſſit allicere , & excitare ? Solitudo loci , & condiſcipulorum abſentia ? At hæc res plurimum etiam obeſt , multumque detrahit de alacritate animi , vires frangit, mentem debilitat , ſtudia reſtinguit. Pædagogus ? At hic levare

ni-

nihil poterit ægritudinem pueri: ſolus cum ſolo aget ; ſi doctus ſit , indignabitur , credo , & dolebit vicem ſuam , quod ſe , & graviore theatro , & maiori dignum frequentiâ exiſtimabit : ſin indoctus erit , & ſe illitteratus, ut vulgò ſolent huiuſmodi homines tenebricoſi : ſi præterea ſit teter , ſuperciliosſus , torvus , clamoſus , inhumanus (quales video vos multos recordari , ut ex ore veſtro facilè conjicio) quid miſero puſioni futurum putatis ? Næ ille puerum ſæpè immeritum , aſperrimis verbis proſcindet , verberibus trucidabit , clamoribus certè ſuis (eſt enim tota illa natio clamoſiſsima) diſcipulum ob-

tun-

tundet, & enecabit? Infelix puer! quam me tui ex animo miſeret! quam doleo iniquam te, & moribus tuis ſuaviſsimis indigniſsimam fortunam iſtam pati! Quid ſi poſſes in publica Scholarum luce, in tuorum æqualium cætu, ſermunculis, garritionibus, ac pænè dicam luſibus ac iocis litteras ediſcere? quid ſi illas anguli tui anguſtias cum hac amplitudine; illas tenebras cum hac luce; illam ſolitudinem cum hac frequentia commutares? quam te lætus tuis admiſceres? quam feſtivè lepideque ageres? quam alacritèr ſtudia ſuſciperes? Quid verò ſi gymnaſii dignitatem, & elegantiſsimorum puerorum frequentiam,

&

Digitized by Google

& diſtinctas Auditorum claſſes, diverſoſque ordines videres ? quid ſi pendentia, & obvia ſignis ſigna ſcholaſticæ militiæ ? quid ſi pugnas, & concertationes ? quid ſi paratas coronas ? quid ſi erecta trophæa ? quid ſi alios victores, & victoriâ ipsâ exultantes ; alios victos, vultu demiſſo, lachrymiſque commiſſerantes ſortem ſuam? quid ſi victoribus applaudi, & lætis vocibus ab omnibus acclamari ; victis contra dicacitér illudi, & lepida dicta dici ? Quæ ſi videres omnia, quæ te tum, bone puer, admiratio caperet ! qui tibi tum eſſet animus ! quæ mens! qui ſenſus ! qui oculorum igniculi ! quibus gloriæ ſtimulis agita-

Digitized by Google

tareris ! quibus flammis rapereris! quid ibi tum non ageres ! quid non ſuſtineres ut victoriam à competitoribus, ex victoria triumphum reportares ! Video te, mi puer, qui nunquam his pompis interfuiſti, non leviter commotum, interdum etiam ſubridere, riſuque, quid animi tibi ſit, declarare.

At alia tibi ad aurem inſuſurrat Pater : *Iſta*, inquit, *puerilia ſunt*, *graviora curato puer*. Bona verba, quæſo, nove Cato, explica ſis paulisper frontem, ut tecum liberé agamus. Ludrica iſta ſunt, inquis, ſcio & fateor, puerilia ſunt, & iſtud novi, neque nego: levia ſunt, tecum ſentio, quid tum poſtea?

an cum duobus illis Catonibus; cum priſci ævi Senatoribus, cum ſenibus capularibus; an potius, oro te, cum puerulis nobis res eſt? quid tu pueris niſi puerile, niſi ludricum proponas? Puerilia ſunt; ſed quæ pueros movent. Ludrica ſunt; ſed quæ teneros animos excitant. Levia ſunt; ſed magni apud leves animos momenti. Sed quoniam non probas ridentes nos dicere verum; rem, ut ais, ludricam, ſerió agamus. Equidem à te ſerió, ac vehementer quæro, quid illud ſiè quo uno omnium vehementiſsimt excitari pueros exiſtimas? Certè niſi tui olim pueri, nunc iam Cato quidam factus, oblivisci velis, niſi ſis hominum conditionis

igna-

ignarus, capi pueros laude, æmulatione vehementiſsimè incitari fatebere: Nam hæ duæ res ad omnia ſtudia, ad omnes ætates pertinent, æmulatio & gloria. Benè habet. Quæro item à te, ac ſerió itidem, quæ tandem laudi materia in umbratili ac domeſtica inſtitutione; quæ æmulationi occaſio in tanta ſolitudine eſſe poteſt? quorum plauſus ſequetur animo puer., cum nullos habeat auditores? quem ſibi ad imitandum proponet, aut competitorem, rivalemque deſtinabit, ſolus cum ſit? quem à ſe vinci volet? à quo ipſe vinci formidabit? Fatere ergo in iſta tetrica docendi ratione, nullum æmulationi, nullum laudi,
 nul-
Digitized by Google

nullum gloriæ locum relinqui. (*c*)

At vide, quæſo, quantum inter tuam, ac meam ſententiam interſit. Tu iſta omnia, quamvis vel maximè litterarum ſtudiis conferant, quoniam puerilia ſunt, nec patruos ſapiunt, contemnenda arbitraris: ego verò etiam ſi nihil puerorum ſtudia iuvarent, dilligentèr tamen & retinenda, & ſervanda iudicarem. Iſthæc enim puerilia, ſi neſcis, & quam plurimas, & quam graviſsimas, & quam maximè

ximè

(*c*) Hieronymus Letam hortatur, ut filiam velit, in æqualium puellarum cætu, ac ſocietate inſtituere: *Ut habeat*, inquit, *quibus invideat, & à quibus mordeatur.*

Digitized by Google

ximè diuturnas ad omnem reliquum ætatis vitæque curſum afferunt ſecum utilitates. Publici enim Profeſſores litterarum, qui cum pueris agimus, nihil nobis puerile proponimus. Nam dum humanas artes tradimus, pueros ſimul bonis moribus informamus, ut & honeſtos cives, & eruditos Doctores, & prudentes Magiſtratus in poſterum habeat Reſpublica: qui enim pueri id temporis ludunt in Scholis, relictis nucibus, quod aiunt, accedent, cum ætas feret, ad graviſsimos Reipublicæ honores; ad quos, quoad eorum fieri per ætatem poteſt, ſunt aſsiduó formandi. Ac veluti in militia tyrones ſimulacro pugnæ ad cruen-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum martem inſtituuntur; ſic pueri in Scholis imagine quâdam civitatis, & imperii, ſunt ad vitam civilem, ad magiſtratus omnes erudiendi. Ac primum quidem illud eſt in publica inſtitutione commodi, quod á teneris unguiculis aſſueſcant pueri cum omnibus cuiuſcumque ordinis liberè ac familiaritér agere; neminem ne ignotum quidem, obſcurumve contemnere; neminem egenum aut humilem faſtidire; neminem potentem ac nobilem formidare; quo fit, ut nobiliſsimus quiſque faſtum omnem & arrogantiam, quam domo extulit, in Scholis deponere; humillimus quiſque ſeſe paulatim & modeſtè erigere; utri-

que

Digitized by Google

que alteris mutuam humanitatem benevolentiamque, in quibus magna ex parte poſita eſt ſocietas civilis, præbere diſcant: quæ res quantos ſit in poſterum uſus habitura, quantaſque Civitati utilitates allatura, nemo eſt qui non videat. Deindè verò, ſemper in oculis multorum verſari; diverſa hominum ſtudia notare; variam naturæ conditionem diſtinguere; contraria etiam vitia, multiplices non tàm corporum, quàm animorum habitus formaſque animadvertere; quam demum illud eſt ad vitam laudabilitér inſtituendam opportunum? Vos verò videtis, opinor, Cæſarauguſtani, illa omnia in publica inſtitutione neceſſarió reperiri,

riri, à domeſtica verò neceſſariò abeſſe. (*d*)

Sequitur iam tertium illud Scholarum publicarum commodum, quod ego palmare exiſtimo, in eximia dicendi facultate poſitum. Ad quodcumque te convertas Reipublicæ munus, nihil eſt, quod æque valeat, atque illa dicendi facultas. Nam ſive Senator cum Senatoribus de Republica; ſive Doctor cum Academicis de diſciplinis; ſive Eccleſiaſticus concionator

---

(*d*) „ Senſum ipſum, qui com-
„ munis dicitur, ubi diſcet, cum ſe
„ à congreſſu, qui non hominibus
„ ſolùm, ſed mutis quoque animali-
„ bus naturalis eſt, ſegregarit? Quin-
ctil. Inſt. Orat. lib. 1. c. 2.

Digitized by Google

tor cum populo de moribus ; ſive Civilis orator de æquitate iuris cauſiſque apud Judices agere debeat; ſit ille ſanè quantum volet, prudens, litteratus, pius, conſultus; ſi tamen non idem ſit in dicendo diu multumque verſatus, nec publicæ, nec privatæ rei prodeſſe unquam poterit. At credo illud eſt, ut pueri, & commodius, & melius domi, quam in Scholis ad eloquentiam informentur. Equidem quid ab illa umbratili inſtitutione ad dicendi vim copiamque præſidii peti poſsit, planè non video: Scholarum autem communium ſolitas exercitationes omnes vident. Nihil in Scholis publicis pueri ſoli agunt, nihil in tenebris, nihil ſine teſti-
bus;

bus: ſed ibi omnia in omnium luce & oculis geruntur: ſi quid vertunt, ſi quid recitant, ſi quid rogantur, ſi quid ipſi rogant, ſi quid diſputant, id omne clarè eſt, ac liberè dicendum. Sæpè illi quidem è ſuggeſtu teneri oratores dicunt, quod primum intra parietes ſui quiſque gymnaſii, deindè convocatis in concionem ex omnibus ordinibus pueris faciunt; tum verò demum magnâ doctorum hominum nobiliumque Civium cinctæ coronâ, aut orationem habent, aut poema recitant: quod tam elegantèr concinnèque, faciunt tantâ & conformatione vocis & gravitate actionis ut infans qui ſit, exercitatiſsimus aliquis orator auditori-
bus

bus ſæpè videatur. De quo nihil eſt, quod ego vos pluribus commoneam; vos ipſi vobiſcum recordamini, quoties, quantâque cum voluntate, & admiratione illiuſmodi Oratoribus acclamaveritis.

Domi verò quid eſt huic exercitationi ſimile? quos in illa ſecretorum penetralium ſolitudine auditores habebit, aut ſpectatores? quos convocabit? ad quos verba faciet? Convenient illuc, credo, domeſtici omnes ad herilem oratorem, ſervorum, ancillarum, nutricum copioſi greges. Hic erit civium vulgus. Accedet magno faſtu, & buccis, credo, ambabus inflatis Pædagogus. Hic præſidis ſuſtinebit facilè perſonam. Sta

tuen-

ſuentur longo ordine aut magnifica ſubſelia, aut fumoſæ maiorum imagines, aut tabulæ egregiè pictæ. Hæc erit nobilium doctorumque hominum corona. His omnibus ad magnificum apparatum ornato theatro, egredietur è cubili puer belliſsimus, veniam à præſide ſuo Pædagogo precabitur, tum ſcamnum aliquod, aut certè menſam (neque enim eſt domi illud pro roſtris tribunal) tapetibus pulcris conſtratam aſcendet; ſeſe pauliſper componet, oculos circumquaque convertet, factâque ſibi audientiâ de præſtantiſsimo aliquo argumento, ita, uti locus poſtulat, verba faciet frigidè, ieiunè, exilitèr, voce etiam & inter gregem

Digitized by Google

gem muliercularum paulò molliore. O mirifica exercitatio ! O novum & perbellum declamandi genus ! (*e*) Pudet me tui, Quinctiliane, qui cum tot leges tuliſſes ad vo-

---

(*e*) „ Ante omnia futurus Orator, cui in maxima celebritate, & „ in media Reip. luce vivendum „ eſt, aſſueſcat iam à tenero, non „ reformidare homines, neque illâ „ ſolitariâ, & velut umbratili vitâ „ palleſcere. Excitanda mens, & attollenda ſemper eſt, quæ in huiuſmodi ſecretis, aut langueſcit, „ & quendam velut in opaco ſitum „ ducit ::: Deinde cum proferenda „ ſunt ſtudia, caligat in ſole, & omnia nova offendit; ut qui ſolus „ didicerit, quod inter multos faciendum eſt. Quinct. Inſt. Orat. lib. 1. c. 2. Præterea, lib. 2. c. 10. utilitatem & rationem declamandi perſequitur.

Digitized by Google

vocem, vultum actionemque formandam Oratoris, non memineris huiuſce declamandi generis apud domeſticam & infrequentem concionem! ſed non niſi in magno hominum concurſu dici oportere exiſtimaveris: parum, mihi crede, vidiſti, quamvis rude donatus, quamvis annos plus viginti romanæ iuventutis magiſter, cæcus es, præ iſtis linceis pædagogis. Nova ratio dicendi inventa eſt, in qua latens angulus ſit pro foro romano; ſubſelia muta pro iudicibus; ſigna tabulæve pictæ pro Senatoribus; pædagogus quis, græculuſve, pro Prætore, aut Conſule, aut Imperatore. Sed rurſus obliviſcor ſeveritatem; rem ite-

rum

Digitized by Google

rum ſerió agamus. An ille puer ſatis vobis ad dicendum videtur appoſitè inſtitui ? An ſi ille ex illo ancillarum comitatu ad Scholaſticos iuvenes; ex illis ſubſeliis ad nobiliſsimos viros; ex illis imaginibus ad doctores graviſsimos; ex pædagogo ſuo ad hunc Academiæ Præfectum transferretur: non hæſitaret, non hæreret, non ſudaret miſer, non quidvis aliud potius faceret, quam ut orationem haberet? Nimirum hoc ipſum eſt, quod Portio, ut opinor, Latroni accidit, qui cum in his domeſticis declamationibus fuiſſet apprimè verſatus, atque ad cauſam tandem agendam in Senatum veniſſet magnâ ſpe, magniſque ſpi-

Digitized by Google

ſpiritibus ; ubi primum loci maieſtatem, & Senatorum amplitudinem circumſpexit ; ibi veró repentè elanguit, obmutuit, propè exanimatus eſt ; cum rogaretur à Senatoribus, ut quod afferret meditatum, audactèr diceret : tum ille *Ego verò*, inquit, *non ad Senatores*, *ſed ad ſubſelia verba facere didici.* Maius enim veró quidam eſt, quam homines vulgò cogitant, prodire in publicum, & ad auditores non agreſtes, non ſordidos, non illitteratos, ſed nobiliſsimos, ampliſsimos, doctiſsimos de re propoſitâ gravitèr ornatèque diſſerere : quod cum ſit iis, qui ad Rempublicam accedunt perſæpè faciendum, videte, quid iidem poſsint

à

à privata inſtitutione expectare.

Nunc verò, quoniam Scholarum publicarum inſtitutio, quàm ſit Reipublicæ domeſticâ educatione utilior, oſtendi: evellendus mihi eſt quidam error, qui nonnullorum animis penitùs inſedit. Sunt enim, qui maturiores domi, quàm in publicis Scholis puerorum in litteris eſſe progreſſus exiſtiment: ibidemque citiùs & grammaticos fieri, & eloquentes, & eruditos: nihil eſſe ſanè, quamobrem domeſtica doctrina non adhibeatur, ſi quis in puero eruditionem potius quam ſplendorem quendam, & inanem commendationem deſideret. Quam ego hominum, tàm temerè iudicantium de litteris hu-

manioribus, ut ſententiam fundi-tùs evellam, duo ſunt mihi illo-rum genera oratione diſtinguen-da. Alterum eſt quidèm obſcu-rum, ſordidum, ac penè dicam ferum ac barbarum; cui nulla eſt in moribus comitas, nec in ſer-mone venuſtas, nec in cultu, at-que victu elegantia. Hi nec un-quàm muſis ſacrificarunt; neque tàm bonas artes noſcere & ama-re, quàm tricas, nugas, ac lu-ſus neſcio quos, futiles, & ridi-culos litterarum didicerunt: id eſt in ſermone non tàm elegantiam, quàm captiunculas ac decipulas quærere pueriles. (*f*) Videte ho-mi-

(*f*) Eiuſmodi illud eſt (ſi quis

minùm futilitatem. Vocem aliquam ſumunt, cui ſit aliquandò diverſâ, atque admodum rara vis, & notio; eam ita orationi inſerunt, atque adeò infarciunt, ut id valeat atque ſignificet, quod minimè ſuſpicere. Hæc tota laus eſt: hoc grammaticum decus atque artificium, quo mirificè delectantur barbari: hoc ingenii acumen planè ſingulare, quo, ſi quantumvis puerulum, pupugerint, aut fefellerint, mirum eſt

in re ineptiſsima exemplum deſiderat) *Mus eſt in arca. Deus non eſt in Cœlo*, quod puer ipſe à circumforaneo neſcio quo præceptore, excogitatum & propoſitum mirificè celebrari audivi.

quantùm ſibi plaudant, quantùm arti ſuæ acclament, quantùm in re inepta triumphent pædagogi, quantùm univerſam Scholarum rationem deſpiciant. Et verò, ſi ſunt iſta, aut ullâ laude, aut ullo pretio digna, valeant, per me licet, Scholæ noſtræ, valeat publica inſtitutio: iſta enim nec curamus, nec novimus; quæ ſi maximè noviſſemus, edocere tamen minimè vellemus: ſin autem iſta ſunt omnia inepta, abſona, ludrica, ridicula, plena ruris, ut Catullus ait, & inficetiarum, monſtra ac portenta non tàm docentum, quàm delirantum grammatiſtarum: erunt fortaſſé, qui iſtas, aut iſtis ſimiles ſordes requirant?

At

Digitized by Google

At ubi gentium vivimus, Cæſaraugustani? quam Urbem tenemus? quantâ in barbarie verſamur? Sunt, ſunt profectò, qui nos in invidiam apud vulgus imperitum vocent, qui noſtram docendi rationem, & traducant, & calumnientur, & maledictis, ut ſunt conviciosi, proſcindant, eô, ſi ſuperis placet, nomine, eâ causâ, eô crimine noſtro, quod difficiles non habeamus nugas, quod tricis iſtis diſcipulos noſtros, ut ſolent pullos gallinaceos aniculæ, non involvamus. (*g*) Quod autèm Patrum

(*g*) Nimirùm hoc illud eſt, quod L. Sectanus ſe diſciplinâ, monitiſque cuiuſdam Rulli Græculorum coryphæi aſſequutum eſſe gloriatur;

trum homilias in Scholis non interpretemur, indignum & impium facinus clamitant. An verò fingimus?

Quodque magis mirere, anno non amplius uno,
Et minimo ſudore, & amico abdomine ſalvo,
Hunc apicem, hæc nos attigimus ſubſellia. Tanti
Refert ſcire viam, quæ per compendia ducit.
Hæc olim intentata, & avis ignota, velut quà
Itur ad auroram, & fuſcos modo Cercopithecos,
Hercule poſthabito ::::: Fruticantes inde videmus
Fungorum in morem Sapientes: plena Poetis
Oppida cuncta: Sophos, Oratores, Geometras
Auſoniæ fundunt urbes, &c. L. Sectanus Q. F. Serm. I.

Digitized by Google

mus ? an non vos ipſi ſæpè clamantes audiſtis ac contendentes, eſſe à grammatico exigendam homiliarum hiſpanicam verſionem? quam ſi ille tenuerit, latiniorem Tullio fore; ſi non tetigerit, tametſi Cicerones, Cæſares, Salluſtios, Livios, Nepoteſque diurnâ nocturnâque manu verſaverit, peregrinum in Latio, nec bonum latinæ linguæ, nec tolerabilem èloquentiæ præceptorem futurum. (*b*) Hæc miſeri obloquuntur, hæc ver-

---

(*b*) Sed quoniam pleriſque ſumma eſt de Barbadignii doctrina opinio, iuvat hîc tranſcribere, quæ ille de vernacula homiliarum verſione ſenſerit & ſcripſerit: „Outros „ mandam traduzir liſoens do Bre- „ viario,ou Concilio de Trento:di-

verba diſperdunt in triviis ; hæc inculcant infimæ plebeculæ. Ignorant videlicet iſti homiliarum interpretes , & laudatores , totum grammaticæ & eloquentiæ artificium. Ignorant , quod tamèn eoſdem

---

„ zendo , que ſam neceſarias para
„ quem a-de ſeguir a Igreja. E iſto
„ tambem é uma ſoleniſima loucu-
„ ra. Cada liſam do-Breviario é de
„ ſeu autor , e de eſtilo diferente.
„ Ainda das-que ſe-tiram da-Eſcri-
„ tura ſe-deve dizer o meſmo: umas
„ ſam oſcuras , que ſam as dos-li-
„ vros profeticos ; outras mais cla-
„ ras , que ſam as dos-iſtoricos : e
„ o Latim delas nam é bom , por-
„ que a fraze é barbara. E querer,
„ que um eſtudante traduza iſto , é
„ querer , que nam ſaiba Latim.
Verd. Meto. de Eſtu. Car. 3. pag. 77.

Digitized by Google

dem ſcire oportebat, à Maioribus veſtris latâ lege, & deſcriptis pœnis prohibitum: *Ne quis Doctor Auditoribus ſuis homiliarum librum prælegat, ſed optimos quosque ex antiquitate ſeligat; ſecus qui faxit Doctoris munere privetur.* Audiſtis, quid Maiores veſtri pro imperio Doctoribus præſcripſerint? quanto illi, ſi reviviſcerent, infortunio mulctarent homiliarum admiratores? Vos verò, illis auctoribus, non modò non requiretis, ſed prohibebitis à puerili inſtitutione, tàm depravatam corruptamque docendi rationem.

Venio iam ad alterum genus hominum, qui ſunt ab iis, de quibus modò egimus, & ſenten-

tiâ, & moribus omninò diverſi. Nam & quæ nos damnamus, ea ipſi damnant; & ſunt præterea venuſti, concinni, elegantes, & maximè nobiles; à quibus tamen, ſi & generis ſplendorem, & cultûs elegantiam munditiaſque, & oris fucatam venuſtatem detraxeris, nihil ibi reliquum feceris, quod maximè mirere. Quid igitur iſti beatuli ſibi volunt? Oſtentant nobis filios ſuos, pulcri ſcilicet corvi pulcra ova; poteſtatem urbanè faciunt, ut quid filii didicerint, in iis periculum faciamus. Benè hercle habet, & gratias parenti ago; à te verò, bone puer, ſcire cupio, quid artium pulcherrimarum ab iſto præcepto-

cepto-

Digitized by Google

ceptore tàm gnavo, tàm induſtrio, tàm famoſo, tàm peregrè evocato didiceris? Ego verò, puer ait, Maiorum meorum ſtemmata, honores, præfecturas, præmia; tùm eorundem res geſtas, pugnas, victorias, triumphos, & quæ ſunt his dignitate, & ſplendore ſimilia, memoriæ mandavi: ad hæc hiſtoriolas ſelectas Romanorum, & Græcorum; ſed has levitèr omninò, & primis labellis delibavi. Quid autèm præterea? Nihil enim verò, inquit, præterea: & ſi quæris, à me ſatis felicitèr & fructuoſé in his collocatam operam eſſe, ſtudiumque aiunt, quod ego iſta non plus duobus annis totis didicerim. Itane vero?
ain'

ain' tu mi puer? Hùc tandèm recidit tuus in litteris biennio toto progreſſus? Tantulumne doctrinæ? hæccine tui Pædagogi, (abſit verbo invidia) hæccine tui præceptoris eruditio eximia, induſtria ſumma, ſingulariſque docendi ratio? hiccine tantarum impenſarum pecuniarumque, quas habet minerval deſtinatum iſte tuus Pædagogus, infinitas propè, & quæ certè multis Doctoribus publicè alendis ſatis eſſe poſſent? hiccine inquàm fructus, ut nihil ille te docere, nihil ipſe diſceres, nihil pater tuus nummorum fruſtrà benignus ſaperet? Nàm quid hoc eſt tandèm, Cæſarauguſtani? Cuius eſt operæ, cuius ſtudii, cuius eruditio-

tio.

tionis, breves quaſdam hiſtorias decerpere, eaſque ſive ſcripto, ſive ſermone tradere auditori? quis hoc tanto pretio dignum exiſtimabit? Equidem ſi velim paululùm animo contendere, vel potius ſi & meâ, & meorum diſcipulorum velim operâ abuti; non dico multorum annorum, non multorum menſium, ſed ne vix quidem paucorum ſpatio dierum, reddam in hoc toto genere puerulos doctiſſimos. Res enim eſt non magni laboris, totumque iſtud quantumcumque eſt, poſſum pagellis paucis complecti. Tamèn hæc iactant pædagogi, his fucum faciunt nobiliſsimis viris, præ his noſtra rident, atque contemnunt. Interea

con-

Digitized by Google

contemptæ iacent bonæ artes , & diſciplinæ , quæ quondàm à nobiliſsimis viris oppidò ac mirificè excultæ, non minus ſplendoris illis reddiderant, quàm ab illis acceperant dignitatis. Nunc verò univerſum illud ſtudii genus, quòd laborioſum, & operoſum ſit , à quo omnis germana , ac ſolida eruditio pendet , abiecerunt : uſque adeò illi quidèm, ut nihil niſi hiſpanum ſit, niſi brevi comprehendatur , ament aut curent : qui ſi ita animati eſſe pergant , limen ſcholarum publicarum ne attingant ; ubi & diutius , & accuratius , quàm ut eorum aut voluntas , aut animi mollitudo fert , eſt omnibus contendendum : nunquam
illi

illi tamen ſperent, ſeſe cordatis hominibus perſuaſſuros, aut iſta quæ domi docentur potiora eſſe his, quæ in Scholis traduntur; aut domeſticos, quam publicos eſſe fructus litterarum maturiores.

Neque me præterit, Cæſar-auguſtani, unus ille locus egregius orationis meæ, quo uno abundè cauſam meam obtinerem. Multa attuli, quæ quanti ſint habenda, veſtrorum animorum non obſcura conſenſio declarat. Videte quale hoc ſit, quod dicam. Quæro enim, utrùm doctorum omnium virorum, omniumque ætatum commune ac conſentiens iudicium debeat paucorum hominum, eorumque non ita erudito-

rum

Digitized by Google

rum opinioni olim relictæ, nunc malè reſtitutæ præponi, necne? Credo, qui ſanus ſit, præponet. Quid? cum potentiſsimi Reges, Antiſtites Sapientiſsimi, Urbium Rectores prudentiſsimi academias ubique terrarum condiderint, Scholas publicas aperiendas curarint, Doctores eruditionis famâ conſpicuos arceſsierint, magnis honoribus, magniſque propoſitis præmiis allexerint; dubitabimus, & quid ipſi de publica, privataque, inſtitutione iudicarint, & quid aliis iudicandum præſcripſerint? (*i*)

At-

(*i*) „ Quod quidem cùm iis, à „ quibus clariſsimarum Civitatum „ mores ſunt inſtituti, tùm emi- „ nentiſsimis auctoribus video pla- „ cuiſſe. Quinct. lib. 1. cap. 2.

Digitized by Google

Atque ego quidèm Divis omnibus gratias habeo, quod ab antiquorum, Maiorumque noſtrorum mentibus, novam iſtam ſententiam de domeſtica inſtitutione arcuerint; quæ ſi ſuperioribus temporibus valuiſſet, videte per Superos omnes, Cæſarauguſtani, in quo rerum ſtatu, quàm miſero, funeſtoque viveremus! Nullæ enim eſſent Academiæ, nullæ Exedræ publicæ, nullus ludus, nulla Muſarum templa, nullus doctis hominibus locus, nullum artium domicilium, nulla ſtabilis litterarum ſedes, ſed doctrinæ omnes longè latèque errantes, peregrinanteſque vagarentur. Quo, quid hominum generi ſapientiæ nato, turpius? quid

luctuoſius dici, aut excogitari poteſt, Cæſarauguſtani? Certè ſi nihil incommodi afferret aliud, iſthæc furtim docendi opinio, quam quod eâ ſtante, hæc noſtra Academia aut nunquam extitiſſet, aut poſtquam extitit, multiſque, præſtantiſsimiſque in omni diſciplinarum genere alumnis floruit, eſſet brevi interitura; videte quid dicam, Cæſarauguſtani, ſi nihil inquam aliud afferret mali, dignam illam exiſtimarem, in quam cenſores litterarii ſummâ ſeveritate, graviſsimiſque pœnis animadverterent. Nunc verò quot, quantaſque labes Reipublicæ non infert? Illas equidèm congererem, aut deplorarem potiùs, nisi, ne vobis mo-

moleſtus eſſem , vererer , aut ſi hæc tandèm cauſa ipſa deſideraret. Sed ſatis multa à me dicta ſunt, quare videatur publica inſtitutio domeſticæ præferenda. Nam & in Scholis publicis, quam domi graviores res, utilioreſque à iuventute diſci; & libentius à pueris, alacriuſque ſuſcipi; & utilitates contineri maximas in communi doctrina, quibus omnibus privata careat; & eas utilitates non ad infantiam modò, ac pueritiam pertinere, ſed per omnes ætates, omneſque ordines Reipublicæ diffundi, non tantum hactenus diſeruiſſe, aut probabilitèr diſputaſſe, ſed oſtendiſſe planè mihi videor.

Quid ergo reliquum eſt, Cæſaraugustani, niſi quod ego oratione meâ conſequutus ſum, id ipſum vos etiam ſtudio, factiſque comprobetis. Nam eum Academiæ Rectorem nacti ſumus, qui & doctrinâ ſuâ nos informare, & auctoritate conſilia noſtra regere, & dignitate conatus noſtros fovere & tueri poſsit: Profeſſores autem eos habemus, quibus injurius ſim, ſi, non dicam ſciolos iſtos litteratores domeſticos, & tenebricoſos; ſed vel præſtantiſsimos etiam ex omni memoria Magiſtros cum ipſis conferam. Vos verò, Diſcipuli mei (iam enim vos veſtro iſto nomine appellem) vos, inquam, Diſcipu-

cipu-

cipuli mei, quos habeo iucundiſsimos, & mihi meâ vitâ chariores, quoniam ex veſtro ſtudio, meâque inſtitutione multi fortaſſé ſperabunt hæc tanta bona Scholarum publicarum, ego quidem certè à vobis ſpero; & ne fruſtrà à me quis ſperarit, intendam quantùm potero, omnes ætatis, atque induſtriæ meæ nervos: oro, atque obſecro per veſtram ſuaviſsimam indolem, per veſtrum mei, per meum item veſtri ſingularem amorem, ne ego fruſtrà à vobis ſperem, omni ſtudio, curâ, ac diligentiâ provideatis: quod ſi à vobis omnibus optimæ ſpei adoleſcentibus, pro veſtro in ſcientias amore aſ-

ſequ-

Digitized by Google

ſequutus fuero, & huic Urbi, & rei litterariæ, & publicæ Scholarum inſtitutioni magnus laudis, & honoris cumulus accedet. Dixi.

IMPRIMATUR: IMPRIMATUR:

Iſla, Vic. Gener. *Santayana.*

Digitized by Google

Pro Scholis publicis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO II.

CUM Scholarum publicarum utilitatem, quamque ſit publicæ inſtitutionis ratio ad litteras tradendas accomodata, vobis, proximè ſuperiore anno, Cæſarauguſtani, quâ eſtis humanitate orationem meam non omninò improbantibus oſtendebam; verebar equidem, ne quis eadem ipſa, quæ pro publicis Scho-

Scholis à me dicebantur, in mé retorqueret; fierentque argumenta, ac cauſæ præſidia infirmiora. Diceret enim aliquis, ſi tam eſt publica docendi ratio benè inſtituta, ſi omnia habet opportuna ſubſidia, ad latinas litteras, ad eloquentiam, ad univerſum humanioris doctrinæ genus tradendum; quî fit, ut qui certè erat à tam accurata inſtitutione ſperandus, doctrinæ, atque eruditionis fructus non appareat? Etenim ſi verum dicere volumus (cur autem planè ac ſimplicitér dicendum non ſit, aut cur ſit oratorum more diſsimulandum, nullam ſatis iuſtam reperio cauſam,) fatebimur iamdiu à doctiſsimis Hiſpaniæ viris

Digitized by Google

ris deſiderari adoleſcentes eos, qui ſint paulò magis eloquentes, & eruditi, quique in latinis litteris probè exculti é publicis Scholis evadant. Quin etiam vir quidam noſtræ ætatis eruditiſsimus, ſimile quiddam monſtri, atque portenti in Hiſpania exiſtimari, ait, ſi quis ab exteris gentibus ad hanc noſtram terræ partem delatus, latinè loquatur. Quid igitur dicamus, Cæſarauguſtani, aut quam tandem eiuſmodi ignorantiæ cauſam ſatis probabilem afferre poſſimus? Nam ſi publicæ inſtitutionis ratio in culpa non eſt, Profeſſorum ne doctrinam, induſtriamque elanguiſſe dicamus? Equidèm ſi de me tantummodo quæſtio ſe-

ſet,

Digitized by Google

ſet, aut mea unius cauſa agere-tur, non recuſarem, quin & mi-nus docti, minuſque induſtrii no-tam ſubirem. At Profeſſores om-nes quotquot ſunt, adeò à pri-ma illa doctrinæ laude deſciviſſe; adeò eſſe, ſi cum ſuperiorum æta-tum Doctoribus conferantur, de-ſides, atque ignavos; nec mihi ego ipſi, nec quiſquam prudens rerum æſtimator, aut ſibi, aut aliis perſuaſſerit. Alia igitur pri-ma mali labes, alia cauſa quæ-renda eſt, non una illa quidem & ſimplex; ſed varia, atque mul-tiplex; quam dùm vobis expono, Cæſarauguſtani, oro, atque etiam obſecro vos, ut ſi quæ ad hanc cauſam afferatis præiudicia depo-

nere

Digitized by Google

nere velitis, remque ipſam ſuô pondere, non præconceptis animo opinionibus iudicetis.

Ac mihi quidem in omnia adoleſcentiæ ſtudia diligentius intuenti, eiuſque, quam diximus communis ignorantiæ cauſas meditanti, illud viſum eſt totius mali caput, ille fons, & origo undè reliquæ cauſæ omnes proficiſcerentur; & latinæ linguæ deſpectus, qui à multis habetur; & aliorum de latina lingua falſa opinio, minimèque conſtans. Sunt enim quidam adoleſcentes molles præcipuè ac delicati, qui Romanæ orationis contemptum præ ſe ferant; ſive quod vernaculum ſermonem latino bonâ fide anteponant; ſive

quod

quod operam in eius ſtudio, moleſto ſanè, ac faſtidii pleno, ut ego verius exiſtimo, collocare ſuam nolint. Quibus non eſſet à me hoc loco, & hoc tempore reſpondendum; ſed ut ii ſunt animo, atque ſententiâ à Sapientum iudicio alieni; ſic eſſent oratione meâ, quam ego apud doctiſsimos viros habeo, tanquam indigni equites à Cenſore, prætereundi. Sed quoniam vereor, ne hæc illorum opinio, præſertim multorum iam confirmata ſuffragiis, paulatim percrebeſcat, ac magis magiſque corroboretur, illud de illa liberè dicam, Cæſarauguſtani; graviſsimum, ac maximum malum ab iſthoc præ-

poſ-

Digitized by Google

poſtero linguæ vernaculæ amore, deſpectuque latinæ, univerſæ rei litterariæ imminere. Cenſeo enim, elatâque voce ſententiam dico meam, rem litterariam brevi ad ſæcula Gothica iſtis artibus eſſe rediturам. Si enim iiſdem ſcriptoribus, iiſdem artibus, iiſdem linguis, quibus illa ætas Gothorum utebatur, operam rurſus navemus, delectemurque, exiguo tempore ignari, barbari, & planè Gothi in litteris evademus. At quæ erat illorum ſæculorum de linguis, litteriſque exiſtimatio? Nemo latinè, nemo græcè diſcebat; nemo bonas artes, nemo bonos ſcriptores ſalutabat: vernaculè loquebantur, vernaculè audie-

audiebant, vernaculos libros, vernaculos ſcriptores in deliciis habebant: hos mores, hanc etiam diſciplinam, hanc etiam ignorationem rerum omnium reſtitutam ii volunt, qui latinam linguam, græcos ſcriptores, flagitiosâ animorum mollitie, delicatâque deſidiâ faſtidiunt.

At videte, quæſo, quam in alia omnia abierint illi homines eximii, qui cunctando, ac ſudando tribus his ſuperioribus ſæculis veram eruditionem, ſapientiamque Europæ reſtituerint. Nam qui bonas artes, Gothorum maximè iniuriâ inuſitatas iam, ac veluti ſepultas denuò excitarunt; id illi ſcilicet egerunt, ut ſelectiſſi-

tiſsimos quoſque ex Græcis, Latiniſque ſcriptoribus & ipſi evolverent, & aliis omnibus maximè commendarent. In quo non ego poſſum illorum hominum non laudare conſilium; qui cum intellexiſſent, illâ veluti aureâ ſapientiæ ætate, cum & Plato, & Demoſthenes, & Xenophon, & Euripides, & alii Principes litterariæ Reipublicæ florebant, humaniſsimas, & delicatiſsimas fuiſſe Athenas: cumque ad ipſos famâ etiam perveniſſet, Romæ ſæculum illud fuiſſe florentiſsimum, multiſque in omni doctrinæ genere peritiſsimis hominibus abundaſſe, cum Romanum imperium illos ſapientum Reipublicæ Magiſ-

Digitized by Google

giſtratus, ac Magnates creabat: Tullios, Varrones, Cæſares, Livios: non alitér iudicarunt, ſe ætatem ſuam excolere poſſe & perpolire; quam ſi eoſdem illos priſcos homines, quaſi ab inferis revocatos, vivos quodammodò, ſpiranteſque exhiberent. Juvat verò hîc, Cæſarauguſtani, horum hominum diligentiam, cum iſtorum delicatorum deſidia conferre. Illi ut vitam mortuis illis ſcriptoribus redderent, nihil intentatum reliquerunt: iſti ut eoſdem vivos, florenteſque è medio tollant, omnes deſidiæ ſuæ nervos intendunt. Illi Bibliothecarum omnium ſcrinia, pluteos, forulos, angulos etiam excutiebant,

Digitized by Google

bant, ut ſcriptos manu codices expromerent; iſti antiquos libros optimis formis, regiâ chartâ editos, pretioſis involucris, multoque auro ornatos, modò latini, græcive fuerint, perpetuis tenebris deſtinant. Illi litteras partim vetuſtate deletas, partim ſitu, ac pulvere oblitas, partim tineis, ac blattis ſemeſſas, reficiebant: ſi quæ omninò deſiderabantur, aut aliundè ſupplebant, aut prudenti coniecturâ divinabant: omnia denique faciebant, nequa vocula, nequa litterula, neve interpunctio loco ſuo moveretur. Iſti, ut ſunt faſtidioſi, à pulcherrimis etiam litteris oculos avertunt; venuſtiſsimarum editionum exempla

prætereunt ; ab emendatiſsimis ſcriptoribus manus abſtinent : obvium cuique doctrinæ fructum, iucundiſsimamque ſapientiæ voluptatem , ſi quid græcum , romanumve oleat , percipere dedignantur. Sed iſtos omittamus ; ad illos redeamus ſapientiæ reſtitutores , à quibus nata eſt illa mirabilis, ac penè incredibilis variarum Lectionum , Notarum , Animadverſionum , Commentariorum copia , & multitudo , ut unus M. T. Cicero multas habeat huiuſmodi Scriptorum myriadas. Quorſum verò tam multis hæc ego commemoro ? quorſum ? nimirum ut oculis ipſis percipere poſsitis, hunc tantum , tàm gravem , tàm

ſpiſ-

Digitized by Google

ſpiſſum, tamque diuturnum laborem, eô animo, eâque de causâ ab eruditis illis hominibus fuiſſe ſuſceptum, ut, quæ una reliqua erat inſtaurandarum diſciplinarum ratio, ſelecti ex omni antiquitate, probatique ſcriptores omnibus eſſent in promptu, omnibuſque paterent. Neque verò illos ſua ſpes fruſtrata eſt. Nam ex antiquorum lectione, illorum vigiliis explicata, hic, quo nunc fruimur, doctrinæ fructus ad noſtram etiam ætatem redundavit. Quid ſi illi ipſi alitér ſenſiſſent? Fac apud eos, eandem, quæ nunc plurimorum eſſe cœpit, opinionem valuiſſe: fac eos nihili latinos, nihili græcos ſcriptores

feciſſe, neque omninò curaſſe: nunc profectò, quæ antea fuerat bonarum artium obſcuritas, ignoratioque fœdiſsima omnia teneret; & nos etiamnum gothicum quiddam, barbarum, atque immane ſonaremus.

At video, Cæſarauguſtani, me hoc uno argumento, duplex illud genus hominum, quos antè ſignificavi, petiiſſe; quorum alteri linguam latinam, ut minus ad artes cognoſcendas utilem, faſtidirent; alteri, quæ illa eſſet, aut undè eſſet illius petenda cognitio, non ſatis intelligerent. Atque ut illos omittamus, quibuſcum ratione diſputare, cum ipſi convinci nolint, operæ pretium

non

Digitized by Google

non eſt : cum his, qui errore potius, atque opinione, quam voluntate labuntur, diſputemus. Tu homo ſapiens, & ut tibi videris, litterate, quam tandèm putas latinam linguam? Eam, credo, dices, quæ levi ſyntaxeos excurſione addiſcitur. Nam ſi puer, inquies, verſiculos illos omnes, quibus grammaticæ præcepta continentur, memoriâ teneat, & libelli alicuius interpretationem ſæpius à Præceptore inculcatam meminerit, abſolutiſsimus certè grammaticus, & latiniſsimus, ut ita loquar, cenſendus eſt; nec dubitandum, quin è veſtigio ad Philoſophos, ad Medicos, ad Jure - Conſultos deduci poſsit.

Hæc

Digitized by Google

(*a*) Hæc eſt plurimorum ſententia, eorumque, qui poſſe ſe de ſtudiis humanitatis ſententiam ferre arbitrantur; eos, qui illa perceperint grammaticæ elementa, latinos & eſſe, & haberi. Itane verò ? Tu ad hæc præcepta, ad hos verſiculos, maieſtatem, & copiam latinæ linguæ detrudes ? quæ omnia te-

---

(*a*) ,,Eſta noticia(da-lingua La-
,, tina)certamente nam ſe-conſegue,
,, com à pura Gramatica: mas com
,, à continua liſam de bons autores,
,, e reflexam ſobre as ſuas melhores
,, obras. *Aliud eſt grammaticè, aliud*
,, *latinè loqui* : advertiò ja no-ſeu
,, tempo Quintiliano, e com mui-
,, ta razam. Barbad. Verd. Meto.
Cart. 3. pag. 74.

Digitized by Google

teneri profectò poſſunt, cum ne unus quidèm latinus ſcriptor intelligatur? Tu unam homiliarum verſionem ſatis eſſe ad eiuſdem linguæ cognitionem exiſtimas? quas omnes non admodum latinè ſcriptas eſſe, eruditorum nemo eſt qui dubitet? Sed nolo tecum vehementèr agere; nolo te interrogatiunculis confodere; tranquillo, pacatoque animo exquiramus veritatem. Ac primum à te quæro, quid rei tandem ſit Syntaxis? Nimirum quæ nominum, verborumque conſtructionem præſcribit; & quomodò ſint verbis aptanda nomina, & nominibus copulanda adverbia, & alia eiuſmodi. Quid verò Latina lingua? Ea nimi-

Digitized by Google

nimirum, quæ in infinitam propè nominum, verborumque varietatem diffuſa ſit, ac latiſsimè pateat. Si ergo hæc nomina, verbaque non teneas, quamvis illa probè præcepta cognoveris, non, aut latinos intelliges ſive loquentes, ſive ſcribentes; aut latinè ipſe ſive ſcribes, ſive loqueris. Non enim conſtructionibus, non regulis, ſed nominibus propriis, verbiſque & loquimur, & ſcribimus: quæ ſi cui non ſatis clara videantur, fiant, bonâ cum venia veſtra, Cæſarauguſtani, exemplo hoc clariora.

Ad manus ſunt linguarum omnium grammaticæ; arripias quæſo Gallicam, Italicam, quæ demum

Digitized by Google

mum libuerit. Vide, ut præcepta omnia & ſedulò animadvertas, & firmitèr teneas. Benè habet: unius aut alterius menſis operâ grammaticam didiceris. Gallus nimirùm es iam tuo iudicio, & quaſi in eo ſolo natus, enutritus, altus, inſtitutus, apprimè eorum linguam tenes. Sed fac, amabo te, tuæ ſcientiæ periculum; aggredere Gallos ſcriptores, quid intelliges? Nihil enim verò, inquies, qui vim, ac notionem verborum ignoro. Quid igitur facies? Quæram qui mihi librum aliquem interpretetur, & explanet. Quid tum poſtea? Num tibi ſatis videberis ad reliquos libros noſcendos paratus? Non ita ſanè; nam
in

Digitized by Google

in aliis aliorum argumentorum libris, plures occurrent voces, in quibus hæream neceſſe eſt: quamobrem mihi iterum, iterumque erit aut ad Lexicon aliquod, aut ad Doctorem confugiendum. Quando igitur accuratè, ac probè eiuſmodi linguam tenebis? Cum nimirum poſt ſedulò navatam grammaticæ operam, poſt perceptas loquendi, ſcribendique leges, poſt auditos, lectos, verſos, varios, variique argumenti, ſtilique ſcriptores, cum nullum unquam poſt tantam adhibitam curam, aut rarò admodum offenderim verbum, cuius vim non cognoſcam; nihil verò ſit, de quo in illo ſermone puré, elegantèr, copioſè, orna-

tè

tè non poſsim, aut loqui, aut ſcribere. Benè habet; reſpiravi, Cæſaraugustani, liberatus ſum, cauſa confecta eſt. Non eſt, quod quæram amplius. Quod enim tu de Gallica, & Italica lingua fateris, id ipſum ego de Latina ſtatuo. Nondum mihi aſſentiris? Iiſdem ergo interrogatiunculis, rem conficiamus. Ergo puer, qui grammaticas præceptiones tenuerit, latinus non eſt? Fateor, quoniam in iis præcepta, non verba traduntur. Ergo Homiliarum interpretatio ad hunc, quem quærimus, latinum ſermonem parùm admodum conducit? Imó veró etiam è manibus puerorum evellendam iudico, & ad terras alio

ſole

ſole calentes amandandam ; quoniam Sanctorum Patrum Homiliæ tametſi doctrinâ , rerumque gravitate , atque ſententiis multùm valeant ; at non optimâ certè latinitate ſunt.(*b*) Ergo ad priſcos illos,

---

(*b*) Scitum eſt Sanctiſsimum illum Antiſtitem Carolum Borromæum ſtatuiſſe, ut in Scholis prælegeretur Romanus Cathecifmus, quo ſimul cum latinæ linguæ cognitione induceret Chriſtianæ Religionis, ac pietatis ſtudium ; experimento tamen doctum reſcidiſſe ſententiam ſuam , atque iterum , ut qui prius erant in more *profani* Scriptores prælegerentur, ſanxiſſe. Quid igitur tantus vir, de hac Homiliarum interpretatione , quæ à multis adhibetur , & probatur , ſentiret?

Digitized by Google

los, & ætatis aureæ Scriptores, Cæſarem, Nepotem, Salluſtium, Terentium, & egregiè præter cæteros ad Marcum Tullium Ciceronem, confugiendum erit? Profectò, niſi velimus cæcutire. Ergo qui iſtos Auctores ne primis quidem labris attigerint, tametſi cætera ad Grammaticam ſpectantia didicerint, latinè neſciunt? Fateor demùm, non amplius nego. Magnam hîc habeo Superis omnibus gratiam, Cæſarauguſtani, quod hanc veritatem ab invito, & repugnante adverſario extorſerim. Nam cum in confeſſo ſit, neminem poſſe ſatis latinis litteris inſtructum eſſe, qui illos, quos poſui ſcriptores, aut totos, aut
mag-

magnam partem non legerit, dubitari non poteſt, undè illa latinarum litterarum ignoratio ducatur. Conſtat enim pleroſque ex his, ne dicam omnes, qui ex ſcholis educuntur, ſcriptores eos nunquàm legiſſe. Non legiſſe autem? imò verò ne nomen quidem audiviſſe; ut ego non dubitem, quin ipſi iidem ad nomina Terentii, Salluſtii, Nepotis, aliorumque quaſi ad monſtra obſtupuerint.

Dicet aliquis. Cur tu iſta non doces? Cur à tuis iſti ſcriptores non prælegunt? Video, Cæſaraugustani, quam difficili, ſcopuloſoque in loco verſer: ſed quoniam id à me quæritur, libentèr

di-

Digitized by Google

dicam, quod ſentio; nec tam ve-rebor paucorum hominum offen-ſionem, ut propterea prodam cauſam meam. Dico id Parentum vitio accidere; qui nec ſumptus eos, quos liberalis, & erudita fi-liorum inſtitutio exigebat, face-re volunt; nec tempus etiam, in iis auctoribus, à quibus omnis eiuſmodi doctrina petenda eſſet, evolvendis, interpretandiſque con-ſumi patiuntur. Quid quæritis, Cæ-ſarauguſtani? Vera eſt illa opti-mi Poetæ vox, atque ſententia; (*) *Res nulla minoris conſtabit Pa-tri, quam Filius.* Si quis facien-dus eſt pecuniæ ſumptus, qui eſt pro-

(*) Juven. Saty. 7.

Digitized by Google

profectò leviſsimus, mirùm quanta moliantur plerique; quas ambages, anfractuſque verborum ſequantur, ut in illum ſcopulum non incurrant. Nonnulli ſunt, qui commodatis libris utuntur; plures, quo minoris conſtent, aut truncos, mancoſque libros, & capite, & pedibus captos circumferunt, aut ſordidos, & carioſos, quique poſsint quemlibet à lectione deterrere. Neque ego hîc de pauperioribus loquor, quorum ego potius vicem, & calamitatem doleo: atque utinam benigni quidam homines, quas aliis largiuntur pecunias, in illis pueris ſublevandis, eorumque ſtudiis iuvandis collocarent: ſed de pecu-

Digitized by Google

pecunioſis hominibus, ac locupletibus loquor, de quibus videte, quid dicam. Sæpè mihi accidit, ut cum iis, quorum curæ, puerorum educatio commiſſa eſt, de litteris ſermonem injicerem, ac de induſtria mentionem facerem quorundam librorum, quorum auctores magnificè commendarem; utilitateſque, quas ſive ad latinam linguam addiſcendam, ſive ad eloquentiæ inſtitutionem percipiendam haberent, pluribus recenſerem; diceremque conquiri eoſdem ab eruditis hominibus, quos plurimos habet hæc Civitas, & undecumque arceſsi. Quid expectatis? Neminem oppidò movi tanto verborum apparatu; ac mira-

rabantur illi quidèm, quoſdam eſſe, aut tanto ſcientiæ amore, aut tanto pecuniæ contemptu, qui in illis emendis ſuas opes collocarent. Nimirùm illa iterum vera vox eſt: *Res nulla, minoris conſtabit Patri, quam Filius.* His igitur moribus, quibus vivimus, quid agere nos poſſumus, Cæſaraugùſtani? Hortarer ego ſcilicet, iuberem etiam Diſcipulos, ſi non omnes, at præcipuos tamèn latinos ſcriptores afferre? Quam ego ſurdis fabulam canerem? quin etiam ſuſpicor, me non Rhetorem, ſed immitem crumenarum hoſtem adveniſſe quererentur.

At ſi minus librorum copia ſuppeditat, tamèn tantum tem-

poris

Digitized by Google

poris litteris impenditur, ut quantùm rerum cognitioni ex librorum inopia detrahitur, tantùm afferat commodi ſtudiorum diuturnitas. Utinam id nobis reliquum eſſet, ut ad hanc temporis diuturnitatem, velut ad ſacram anchoram confugiendi poteſtas eſſet. Sed res multò ſecus evenit. (*c*) Primùm Parentes ad nos pueros deferunt, á quorum doctrina rei familiaris ſubſidium, atque operam ſperant. Deindè vix

(*c*) Vetus eſt iſta querela, ut video. Nam qui Jacobi Falconis carmina primus collegit, atque edidit Emmanuel Coutignus, ita de eiuſdem Falconi ſtudiis in præfatione ſcribit:„Cum tale ingenium „ à natura accepiſſet (Falco) pri,

unus eſt, qui de filio ſuo ſumma omnia non cogitet; acre illi ingenium, excelſam, atque erectam mentem, firmiſsimam memoriam, vehemens ſtudium ineſſe arbitratur. Accedit priſtinus ille, multiſque inſitus error, nihil præter grammaticæ præcepta ad puerilem inſtitutionem deſiderari. Id primum ut nactos pueros arbitrantur, continuò ad Profeſſores illi

„ mis humanitatis rudimentis vix
„ excoluit. Vitium eſt Hiſpaniæ
„ noſtræ peculiare. Cœlum habe-
„ mus ingeniorum minimè avarum,
„ homines diſciplinarum avariſsi-
„ mos. Ita Falco, plus naturæ, quam
„ arti, & Parentibus debitor, adoleſ-
„ centiam ſanè importuno tempore
„ ad otium convertit.

illi advolant, præcantur, urgent, flagitant, ut filium velint ad ſuperiorem gradum provehere; oſtendunt ſuas ſe ſpes, totiuſque familiæ, in puero collocatas habere. Quid aget bonus Præceptor? Nimirùm Parentum voluntati, filium condonat. Factum eſt etiam, ac veluti uſu ſancitum, ut ii, qui leve id, quod ex arte grammatica cuique ſcholæ attributum eſt, memoriâ teneant, emittantur; ac vix ullâ latinæ linguæ, nullâque prorſus doctrinæ, eruditioniſque cognitione inſtructi, ad Rhetoricorum claſſem detrudantur. Hic verò exclamare iam profectò licet: O perbellos Rhetoricos! O egregios, ac mirificos eloquentiæ

Digitized by Google

latinæ candidatos! qui nec hiſcere, nec vocem unam latinam, niſi ab alio prolatam emittere poſſint! Sed quid ego hîc conqueror, quaſi gravius malum non ſit quod doleamus! Eſt profectò, Cæſarauguſtani. Nam hùc iam deducta res èſt, ut Scholam Rhetoricæ plerique inutilem, ac ſupervacaneam exiſtiment. Quam hominum opinionem litterarum peſtem, funeſtamque Reipublicæ, ne ego refellam, veſtra prudentia facit, Cæſarauguſtani. (*d*) Satis enim profec-

(*d*) De hoc contemptu bonarum artium, atque faſtidio, quod à multis habetur, ita ſcribit Ludovicus Vives, *de Cau. Corrup. Art. lib.*1. „ Rogatur Philoſophus, aut „ Theologus, aut Medicus, aut Ju-

Digitized by Google

fectò intelligitis, quam ſit eloquentia per ſeſe expetenda ; quot, quantaque ab eadem in reliquas omnes artes commoda deriventur : atque ab hac una Schola, & latinæ linguæ cognitionem , & multarum rerum doctrinam peti poſſe. Quæ verò ex hac prava opinio-

---

„ re-Conſultus de ſingulis; ſciat ne
„ Grammaticam, Poeticam, Rheto-
„ ricam; exibilat eum, qui id quæ-
„ rat magno vultûs faſtidio , ſæpè
„ etiam cachino , & ad pueros re-
„ mittit. Teneat linguas Latinam, &
„ Græcam : Seminarium vocat hæ-
„ reſum ; tenuiſſe in tenera ætate,
„ ſed eſſe deditâ opera oblitum.
„ Quid Rhetoricam ? ridet moto
„ capite ::::: Tantum auctoritatis
„ pondus , in teneras artes cadens,
„ mirandum non eſt , ſi eas con-
„ fregit.

Digitized by Google

nione ſequantur detrimenta, quis non videt? Primùm illa germana, ac vera Eloquentia, cuius vis in omnes vitæ partes, diſciplinaſque pertinet, atque diffunditur, contempta, atque ſpreta iacet, hominesque inanem quandam eloquentiæ umbram ſequuntur. Hinc nobile illud, atque utiliſsimum antiquitatis ſtudium elanguit; amor ille ſcientiarum, illa diſcendi cupiditas planè extincta eſt. Nam cum adoleſcentes ab illis obſcuris grammaticæ præceptis, tanquam è tugurio quodam, in Ariſtotelis Scholam ſubitò detruдantur; nunquàm mentem erigunt ad illa eruditionis arcana; nunquàm excitantur, ut ad eos

Auc-

Digitized by Google

Auctores accedant, à quibus ſunt in omni facultate exempla repetenda. Hinc illa demùm in ſermone barbaries, illæ ſordes, de quo nolim vos oratione meâ commonere; ne aut velle vobis graviſsimum dolorem inferre, aut in communi calamitate videar iactare me, atque exultare. Vos ipſi recordamini quæ monſtra videritis; ſtatuetis profectò, ab his qui videntur latinè loqui, nihil magis, quam latinum ſermonem ignorari. Cuius ignorationis videtis, me iuſtiſsimas cauſas expoſuiſſe: vel quòd ſint, qui latinam linguam, ut minus eruditam, contemnant; vel quòd eorum, qui latinam linguam docere

Digitized by Google

re ſe profitentur, ea ſit opinio, ut in grammaticæ regulis percipiendis, iiſque tenendis poſita omnia, & collocata arbitrentur; vel quòd Scriptores priſci illi, à quibus eſſet omnis doctrina petenda, ne attingantur quidem; vel quòd Parentes denique, nec illis ſcriptoribus parandis, emendiſque, nec legendis, atque explicandis, à ſe, & ſumptum aliquem fieri, & à filiis ſuis tempus conſumi velint. Has dico veriſsimas eſſe cauſas, quæ dum exiſtant ſcitote, nec ab ullo Profeſſorum tradi, nec ab ullo diſcipulorum ediſci linguam latinam ſatis poſſe.

Atque ego hîc, Cæſarauguſtani,

Digitized by Google

ni , dictâ iam causâ , ac propè etiam peroratâ finem dicendi facerem , niſi mihi eſſet graviſsimus quidam dolor explicandus. Quem dum expono brevitèr, veſtram fidem, Cæſarauguſtani, humanitatem illam veſtram , quâ noſtros homines ſempèr complexi eſtis, retinete ; eamque, quam in me audiendo præſtitiſtis benignitatem , pauliſpèr conſervate. Non ignoratis profectò, quoſdam eſſe homines , qui cum nullam occaſionem , nullamque anſam nos in invidiam vocandi, prætermittant ; hanc eandem , quam ego expoſui , latinæ linguæ ignorantiam nobis vitio dant. Ii cum audiverint, quoſdam eſſe doc-

tos

Digitized by Google

tos homines, qui de methodo tradendarum litterarum ſcripſerint, hos extollunt, hos unos laudant, hos mirantur, hos rectè de Grammatica, de Rhetorica, de Philoſophia, deque cæteris diſciplinis præcepiſſe dicunt; quos ſi Duces, & Auctores ſequerentur Scholæ publicæ, nihil eſſe dubitandum, quin pueri doctiores evaderent. Videte nunc, Cæſarauguſtani, quis ego homo ſim, quamque ab omni ſtudio partium alienus. Hos ego omnes Lokium, Thomaſinum, Pluchium, Rollinium, Barbadignium, & ſi qui ſunt aliqui, diligentèr evolvi, ut ſi quid eſſet, quod diſcipulorum meorum uſui, ac commodo

modo

Digitized by Google

modo foret , in me derivarem.
Quid ego de illorum methodo
iudicaverim , non eſt huius loci
diſputare : tantum dico eos , quæ
ego ſum perſequutus, probare;eaſdemque
latini ſermonis corrupti
cauſas ſtatuere. Fingite nunc quæſo,
Rollinium , aut Barbadignium,
aut noviorem alium Cenſorem, ad
hunc locum accedere , voſque
eam rationem , quæ à vobis , in
pueritia informanda , teneri oporteat
edocere. Quid primùm dicent?
dic tu teſtimonium Barbadigni.
Rem , ait , grammaticam,
quæ præceptis contineatur , leviſſimam
eſſe , ac minimam ſtudiorum
partem. En primum teſtimonium
Barbadignii. Quid deinde?

dicat

Digitized by Google

dicat iterum Barbadignius, qui tam ſeverus cenſor exiſtimatur. (*) Afferantur probatiſsimi quique latinæ linguæ Auctores Phædrus, Terentius, Cicero quà Orator, quà Philoſophus; accedant Hiſtorici, Cæſar, Salluſtius, Nepos, Livius, Curtius ::: quid multis? aurei quotquot ſunt ſcriptores ex ordine ſubſequantur. Nunquid aliud affers Barbadigni? aliud? etiam aliud: horum utique librorum editiones ſint caſtigatiſsimæ, & elegantiſsimæ. Divi, Divæque omnes tibi benè faxint, Barbadigni, qui noſtræ cauſæ, noſtræque orationi ampliſsimum, &

(*) Barbadignius: legatur eius Epiſtola 3. & 4. tom. 1.

Digitized by Google

& luculentiſsimum dixiſti teſtimonium. Sed quid illud eſt ? video quoſdam paululùm commoveri ; quoſdam frontem contrahere etiam, quibus aut hæc Barbadignii teſtificatio, aut certè tantus hic ſumptus moleſtiſsimus eſt.

At quod ad tempus ipſum ſpectat, audite quæſo, non iam ea, quæ litteris mandata circumferuntur, quæ ita ſunt, ut ſcriptori libet, ſed quod hoc ipſo tempore in uſu poſitum eſt Lutetiæ Pariſiorum. Habeo enim ad me miſſam ab eruditiſsimo ſocio, (*) qui illic degit, totam ratio-

(*) R. P. Joſephus Martinius Soc. Jeſ.

Digitized by Google

rationem, ordinemque claſsium grammaticarum. Primùm ſex ſunt omninò Grammaticorum claſſes, quarum infimam attingere nemo poteſt, quin ſit ſaltem mediocritèr in re grammatica inſtructus; itaque inſtructus, ut ſatis commodè poſsit gallicam orationem facere latinam. Hæc ſunt exordia, hæc prima initia; deinde ſex ſuperſunt claſſes ita gradatim ineundæ, ut ſingulos annos ſingulis pueri omnes neceſſariò attribuant. Audite nunc Rollinium, dolet non duos integros annos à pleriſque in ſuprema Rhetorices claſſe conſumi; aitque vereri ſeſe, ne hinc corruptio litterarum exiſtat. Proh ſuperûm fidem! quid enim

aliud

Digitized by Google

aliud exclamem, Cæſarauguſtani! quos alios implorem! quò me vertam! ad quos confugiam! ubinam tandem ſunt iſti noſtri calumniatores! illos omnes provoco: mecum, ſi iuvat, pedem conferant, aggrediantur, quæ à me dicta ſunt, cum iis, quæ ab illis traduntur, componere, ac conferre. Invenient, ab illis eum librorum numerum requiri, ut unus ex illorum ſententia inſtructus puer, omnes omnium, qui in Scholis ſunt, puerorum libros, multis partibus ſuperet, ac vincat. Tempus autem ad latinam linguam eflagitari tantum, quantum hîc doctrinis omnibus vix tribuitur. Quæ ſi ip-

ſi probant, cur nobis, non tam multa petentibus, eadem non aſſentiuntur? Cur non eâdem conditione nobiſcum agunt? Cur nos tanquam rerum ignaros traducunt? Sed non hinc illæ lachrymæ, Cæſarauguſtani; ita vellent homines, liberos ſuos eruditiſsimos, ut nec ipſi Parentes aliquem pecuniæ ſumptum facerent; neque ipſi filii diutius in Scholis immorarentur: quibus equidem gaudeo, me, quam illi errent vehementèr, oſtendiſſe; neque enim, quid ad hæc omnia, quæ de latino ſermone protuli, reſponderi poſsit, video; maximè cum illa ſint linguis omnibus communia. Reliquum erat,

Cæ-

Digitized by Google

Cæſarauguſtani, ut ego vos ad hanc cauſam ſuſcipiendam hortarer, verbiſque etiam accenderem: ſed nihil opus eſt verbis: nam hæc cauſa tota, quanta eſt, ad commune litterarum bonum ſpectat, ad quod procurandum ſatis eſtis, maximè vos, Sapientiſsimi Academici, ſponte veſtrâ, veſtro in humaniores litteras amore, veſtro demum officio inflammati. Unum tamèn vos equidem oro, Academici, ac per muſas omnes obſecro, ut ſiquem eorum hominum offenderitis, qui noſtrâ hâc veteri, quâ iam diu utimur, docendi ratione non ipſe contentus, novas, ac nudiuſtertius enatas methodos extollat,

operam detis , itaque cum illo agatis , ut quæ nos de libris, de brevitate temporis conquerimur , iure à nobis dici fateatur : ſin minus , ut calumniari nos , atque in invidiam vocare deſiſtat. Dixi.

IMPRIMATUR: IMPRIMATUR:

Iſla, Vic. Gener. *Santayana.*

Digitized by Google

De adventu

CAROLI III.

Hiſpaniarum Regis.

ORATIO.

QUOD à Deo Opt. Max. ſummis votis deprecabamur, Cæſarauguſtani, quodque idem ſecundùm Deum, à Diva Columnata, cuius numine, tutelâque multò magis hoc regnum, quam hominum conſilio, opi-

opibuſque gubernatur , proximè optabamus; ut , ſi noſtram gentem , Hiſpaniamque adeò univerſam ſalvam , atque incolumem eſſe vellent , maturum Regi noſtro optatiſsimo CAROLO , felicemque adventum concederent ; id verò iam contigiſſe , atque ita contigiſſe , ut nos omnium votorum noſtrorum rei eſſemus , vehementer lætandum eſſe omnibus iure, ac meritò videtur. Nam ſi ſua cuique ſalus chara eſt, ſuamque vitam , bona , fortunaſque liberas à periculis privatis ſervare iucundiſsimum ; quantò iucundius futurum eſt omnibus in commune ſalvum illum eſſe Regem , à cuius ſalute intelligat,

&

& ſuam, & reliquorum ſalutem pendere? Vel enim populis conſtare ſua ſalus, ſua fortuna, ſua felicitas omninò non poteſt; vel certè ab eo, cuius illi imperio, conſilioque gubernantur manare, atque efluere neceſse eſt. Si quis verò fuit uſquam, aut aliquando Princeps, Cæſarauguſtani, qui regias omnes virtutes complexus, & optimam ſemper omnibus de ſe ſpem dederit, & omnium expectationem, votaque ſuperarit; is certè Carolus Tertius eſt; cuius pueritia à Sapientiſsimis, prudentiſsimiſque Magiſtris eſt ad omnes artes regias, omneſque virtutes erudita. Cuius adoleſcentia in magna rerum varietate, ac

per-

Digitized by Google

perturbatione verſata , maiorem etiam aſſequuta eſt Civilis ſapientiæ gloriam. Qui etiam tum adoleſcens , Regnum ampliſsimum, maximiſque hoſtium copiis munitum primò velut impetu recuperavit ; recuperatum autem ita tenuit , adminiſtravitque tantâ humanitate , tantâ morum facilitate , tantâ in rebus prudentiâ, tantoque conſilio , ut qui illo Rege non ſine multorum populorum invidia fruebantur ; iidem & aliis , & ſibi beatiſsimi mortalium eſſe viderentur. Itaque, Cæſarauguſtani , quid iam à Rege omnium eruditiſsimo , prudentiſſimo , potentiſsimo , quid non ſperet , ſibique non polliceatur Hiſpania?

Mag-

Magna res profectò , optandum oratori argumentum , quod amplitudine quidem ſuâ , atque præſtantiâ eximiâ , ſummam quandam dignitatem , ſplendoremque maximum orationi meæ neceſſariò afferret. Sed nec ego tanta modò aſſequi ; nec tam multa, ac varia complecti dicendo poſſum: maximè cum hic locus , atque dies poſtulet , ut de litteris potiſsimum orationem inſtituam. Verum ego novam quandam viam ingredior , ut ſimul de laudibus Caroli Regis , ſimul de litterarum ſtudio dicam. Volo enim & ſtudio , veſtræque pietati erga Regem , & obſervantiæ , charitatique meæ , & officio oratoris

Digitized by Google

ita ſatisfacere, ut oſtendam, quantum ſibi litteræ à Carolo Tertio ſperare debeant; qui, ut eſt ſummus Sapientiæ amator, ſpontè ſuâ litteris favebit; ut eſt rerum præclariſsimarum unicus auctor, ipſe rebus ſuis geſtis ingenia hominum ad artes excolendas excitabit. Vos verò, Cæſarauguſtani, ſive optimi Regis laudibus delectamini, orationi meæ applaudetis: ſive litterarum amore ducimini, de litterarum incremento, bonoque dicentem, credo, non iniucundè audietis.

Inter cætera quidem omnia, quæ putantur à politicis hominibus Reipublicæ præſidia, at-

que ornamenta, nullum eſt & ad felicitatem populorum certius, & ad gloriam, ſplendoremque illuſtrius, quam amor, ſtudiumque litterarum. Quod neque dubium cuiquam, aut valdè mirum videbitur, qui modò intelligat, quæcumque ad proſperitatem hominum, famamque valeant, ea omnia, aut litteris quidem ipſis contineri, aut ab iiſdem tanquam à fonte dimanare. Quid enim? an ars imperatoria, militariſque diſciplina, an res nautica, peritiaque navalis, an hæc interior regni moderandi prudentia, an reliquæ ſerviles etiam artes, (ne quid de Sanctiſsimis Divorum religionibus, aut de

aliis

aliis dicam diſciplinis , quæ in ipſis litteris velut in regno ſuo continentur) an denique ulla pars eſt Reipublicæ , quæ ſcientiarum luce , ac præſidio carere poſsit ? Potuiſſet fortaſſé tum , ſiquidem tale unquam tempus fuit, cum auctoribus maximè Poetis, homines rudes , ac barbari non iuris diſceptatione , non legum æquitate , ſed vi , armiſque ſuas res ſervabant , alienis potiebantur. Cum iidem illi homines ſe more ferarum impetebant , cum omnia in promptiore manu , in magnis oſsibus , toroſiſque lacertis collocabant : quo tamen tempore , ſi quis radius ſcientiæ feris hominibus elucebat , ſi quis

Or-

Digitized by Google

Orpheus, Amphionque, artes, doctrinamque ſuam oſtendebat, tanta vis erat in ſapientia, ut & feræ tigres lenirentur, & rabidi leones placarentur, & ſaxa ipſa loco ſuo moverentur.(*a*) Nunc verò,

---

(*a*) De præclara hac eloquentiæ laude, eiuſque vi ad mores, animoſque hominum informandos, ita elegantèr cecinit Horat. in Art. Poet.

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. . . . .

Digitized by Google

verò, ut à fabulis recedamus, hæc omnia tantum habent artis, ut qui litteris exercitatus non ſit, fortis haberi fortaſſé miles, ſeverus judex, diligens adminiſtrator: prudens autem, peritus, dexter, & ab omni parte abſolutus haberi, profectò non poſſit.

Ac de his quidem diſciplinis, quas nuper commemoravi, neminem credo futurum qui dubitet; quin plurimum à litterarum, doctrinæque ſtudiis adiuventur: de his verò, quæ neque liberales ſint, neque litteris contineantur, quæ tamen ipſæ per ſe maximas afferant Reipublicæ utilitates, erit

for-

Digitized by Google

fortaſſé qui ſibi negandum exiſtimet. Equidem ſi illud dicerem fieri oportere, ut non ſolum Imperator, aut Judex, ſed quivis etiam de plebe infima, quivis terræ filius, quivis ſellularius opifex litteras & amet, & diſcat, & colat; hoſpes in rebus humanis eſſem, nec effugerem reprehenſionem doctorum hominum, atque prudentum. Illud tamen audactèr dicam, ſolere illum litterarum, humanitatiſque fructum, ad iſta quoque infima pertingere, ac redundare. Nam ab eruditis quidem hominibus notatum, & animadverſum eſt diligentèr, quo tempore, quibuſque in populis viguerint littera-

Digitized by Google

terarum ſtudia, ibi tum reliquas omnes artes floruiſſe, eundemque fuiſſe ſemper, & liberalium, & reliquarum artium interitum. (*b*) Quid ita? quoniam docti homines dum gravioribus artibus dant operam, dum verum undè undè inveſtigant, dum naturæ arcana ſcrutantur, multa quaſi obitèr, nec opinantes inveniunt ad uſum vitæ utiliſsima, quibus vulgatis magna fit Reipublicæ acceſsio commodorum. Undè enim illa orta putatis, quæ maximè utilia exiſtimantur, aquarum deriva-

(*b*) Antonius Auguſtinus Cæſarauguſtanus, pag. 14. Dialogo 1. de Numiſmatis edit. Tarrac. anno 1587.

rivationes, irrigationes agrorum, montium ſuffoſiones, fluminum aliorum ad merces convehendas contractionem, aliorum ad vim infringendam declinationem, aut caſtigationem? Quid portus extructos, obiecta mari repagula, viarum munimenta, onerum ſubvectiones, quid alia omnis generis opera ad omnem artem, omnemque vitæ uſum pertinentia? An verò ab hominibus doctis non inventa, non diſpoſita, non prolata ſunt? ut omninò pateat, ipſam illam rerum abundantiam, & copiam ab eruditorum ſtudiis dimanare.

Sed hæc fortaſſe, & alia his affinia longius petita videantur;

illud eſt cauſæ proprius, in iis populis, in quibus diſciplinæ floreant, maiorem vulgò inſtituendorum liberorum, & curam & diligentiam eſſe; undè reliquus vitæ, ætatis, artiumque curſus, conformatioque pendet. Quid verò illud? nonne uſu venire neceſsè eſt, ut hic idem ardor, idem conatus, perficiendarum artium, atque ornandarum facilimè à ſummis, doctiſque hominibus ad infimos de plebe homines, veluti contagione quâdam ſaluberrimâ derivetur? Nam cum virorum illuſtrium exemplis maximè in utramque partem ducitur multitudo; tum eorundem inventis perculſi & excitati optimi
qui-

quique de plebe artifices, erigunt ſeſe, audentque & arti, quam tractant, & ſimùl nomini ſuo commendationem aliquam comparare cum utilitate coniunctam. Sed hæc ad vivum reſecabunt, qui de his ſubtilius ediſſerunt: id enim mihi ſatis eſt ad inſtitutum meum, quod & ante dixi, & exploratum eſſe arbitror, eandem ubique eſſe, & fuiſſe ſemper, litterarum Reique publicæ fortunam; nec poſſe illas corruere, ut non cætera omnia Reipublicæ & præſidia, & ornamenta, eodem labefactata motu concidant. Unum tamen eſt, quod ego præterire dicendo non poſſum, ut ab exemplo uno, cætera

tera omnia melius percipiatis. Memoriâ, quæſo vos Cæſarauguſtani, memoriâ repetite barbarum illud Gothorum tempus; facta, mores, faciem denique illius imperii vobis ante oculos ponite. Nihil ſanè, aut in ædificiis extruendis, aut in ſtatuis ducendis, aut in tabulis depingendis, aut in litteris efformandis, aut arboribus conſerendis, aut colendis agris, aut in habitu cultuque corporis curando, aut in conſtituendis rebus publicis, aut in moribus formandis, aut in ſono vocis; nihil, inquam, in rebus omnibus videbitis, emendatum, elegans, politum, urbanum; ſed omnia inculta, effera,

Digitized by Google

horrida, barbara. Contrà verò, oculos mentis ad ſuperiora tempora iam indè uſque ab ætate Magni Alexandri, ad Gothicum Imperium attollite; videbitis profectò, id quod à maioribus accepimus, quodque etiamnum in reliquis monumentis aſpicimus, florentiſsimis illâ ætate litterarum ſtudiis, omnia pariter, quæcumque ad vitæ uſum, morumque inſtitutionem ſpectarent, elegantiam ſummam, atque ſplendorem maximum retuliſſe coniunctum cum utilitate communi. Quod ſi conſtat, quis eſt, qui dubitare poſsit, quin ab ſtudiis litterarum, aut omninò, aut magna ex parte pendeat Reipublicæ felicitas?

At

At ſi certa ſunt hæc, ut ſunt profectò, probandum erit pluribus, opinor, quæ ſit futura CAROLI TERTII de ſtudiis litterarum ſententia, & voluntas; quaſi verò ſapientiſsimo, ac prudentiſsimo Principi ad Regnum optimè gerendum, aut cognitio, aut voluntas deeſſe poſsit. Neque enim CAROLUS hic noſter, in quo, & Divorum munere, & eximiâ quâdam naturæ bonitate, & ſingulari ipſius diligentiâ, ſumma ſunt omnia, ex aliorum Principum communi quodam vitæ uſu cultuque metiendus eſt. Plerique enim Ptincipum tametſi habeant domi omnia perfectæ cuiuſdam inſtitutionis præſidia, ita tamen

ad

ad regnum capeſſendum accedunt, ut, ſicuti infantes ſine nutrice, ipſi per ſe vix paſſum unum progredi, aut poſsint, aut velint: ſic illi, quid agendum, quid ſtatuendum, quò ſit progrediendum in Republica ſine aliorum arbitrio, ac voluntate ignorare videantur; certè quidem ipſi per ſe, nunquam pedem unum, digitumque promoveant. De hoc autem Principe, quo de nunc agimus, id poſſumus liberè, & ſine adulationis ſuſpicione veriſsimè prædicare, neminem unquam fuiſſe, aut à natura paratiorem, aut à diſciplinis inſtructiorem, aut ipſo uſu, atque exercitatione pruden-
tio-

Digitized by Google

tiorem. Nam neque alius unquam à communi totius naturæ auctore Deo æquè magnam , & amplam mentem viſus eſt accipere ; neque acceptam ornare cúm lectiſsimorum præceptorum inſtitutione; tum maximè Patris Sapientiſsimi, præſtantiſsimique conſiliis , & exemplis ; tum verò demum aſsiduis hortationibus , vocibuſque ſuaviſsimis præclariſsimæ Parentis illius Elisabethæ Farnesiæ; illius Reginæ cuius ab ore , & melle dulcior fluit oratio , & regio multorum Principum , multorum Imperatorum ſpiritu pleniſsima , tam præclarè nunquam alium ad omnes virtutis , & maieſtatis numeros informavit. Ut non potuerit tan-

ta

Digitized by Google

ta Caroli indoles; tanta in una indole Borboniorum, & Farneſiorum omnium coniuncta virtus, atque dignitas, totius Europæ expectationem ſummam non excitare; excitatam autem ampliſsimis rebus geſtis Borbonius ac Farneſius adoleſcens non ſuperare. Ineunte enim adoleſcentiâ Carolus, ita regnum amplum, marte ſuo recuperatum difficillimis temporibus adminiſtravit, ut hoſtibus terrori, ſociis ſaluti, ſuis voluptati, omnibus eſſet admirationi. Atque illa quidem eſt omnium perſuaſio, neminem unquam fuiſſe tam gnavum, atque induſtrium rei familiaris adminiſtratorem, qui tantâ curâ, ac ſolicitudi-

tudi-

Digitized by Google

tudine rebus domeſticis conſuleret, quantâ Carolus totius regni curam, gubernationemque ſuſcepit. Hinc illa nata eſt rerum, voluntatumque mirabilis, & omnium ſermonibus celebrata commutatio; ut qui homines ſine ullo ſplendore in oblivione iacerent, qui otio, atque ſegnitie diffluerent, qui etiam molles, & effœminati haberentur, iidem ſubito à ſocordia, & ſqualore emergere, fortes, & acres haberi, magnum & ſibi, & regno honorem, decuſque cœperint conciliare. Quæ bona tanta, tamque præclara, ipſi cum probè cognoſcerent à quo fonte haurirent, dici vix poteſt, quâ charitate in

Digitized by Google

Carolum Regem ſuum exardeſcerent, quibus illum ſtudiis proſequerentur, quibus laudibus in cœlum efferrent; ut non iam veteris modò dominationis obliviſcerentur, ſed hunc ſibi Principem in maximo munere à Deo datum ad Regni ſalutem, & ornamentum palam, & aſsiduò profiterentur.

Sed age verò, pauca è multis proferamus, ut omnes intelligant, quod iam tum fuerit Caroli noſtri de litterarum ſtudiis iudicium. Quamquam quì dubitare poſſumus, quin maximo in pretio illi Regi fuerint litteræ, per quem paulò ante dicebamus vitam, & ſpiritum, & ſalutem am-

ampliſsimo Regno fuiſſe reſtitutam ? Sed pauca tamen in hac parte proferamus. Nam ut primum pax ſubſequuta eſt, & CAROLUS animum à ſago ad togam, à labore ad quietem tranſtulit, primam habuit, ac potiſsimam litterarum curam. Itaque, & antiquos diſciplinarum Profeſſores officii admonuit, & novos gravioribus doctrinis addidit: Theologiæ explicandæ duos; duos item Philoſophiæ; Matheſi verò, Medicinæ, ac Juriſprudentiæ ſingulos ſingulis diſciplinis attribuit: nihilque reliquum fecit quo magis, ac magis hominum excitarentur ſtudia. Quid illa res? quantam declarat eiuſdem

Digitized by Google

Principis in bonas artes, quamque prolixam voluntatem? quod omnes doctos homines, ſi quid haberent, quod litterarum bono eſſet, ut liberè, & audactèr exponerent, invitavit: delectoſque ipſe viros conſtituit, qui oblata acciperent; accepta perpenderent; ſi quid probarent, ſibi referrent, ut auctoritate, iuſſuque regio ſanciretur. Deus bone! quam multa exiſtimatis tunc à doctis hominibus inventa, atque excogitata cum ſumma Reipublicæ utilitate? Et mirabimur, ſi tam ſubitò in illud regnum quaſi iure poſtliminii, tanta redierit gloria, tantus ſplendor, tanta felicitas? Jam verò de Bonamici Commentariis

Digitized by Google

tariis, quæ in omnium manibus ſunt, quid attinet plura dicere? Conſtat enim inter omnes, illum à ſapientiſsimo Rege pecuniâ fuiſſe adiutum, ut diverſa, quibus pugnatum erat, loca peragraret, quo paratior ad ſcribendum accederet; eundemque ob ſingularem ſcribendi facultatem, ab eodem Rege ad ſuperiorem ordinem, honoratioremque inter Centuriones locum fuiſſe promotum. (*c*) Et dubitabimus quanto ſit in litteras amore, qui hiſtorici ſedulitatem tanto premio dignam exiſtimarit?

Age

(*c*) Caſtruc. Bonamicus, Comment. de Bell. Italico, in Præfatione ad Carol. Neap. Regem.

Digitized by Google

Age verò, cum non ita pridem veteris Heraclææ rudera aperta eſſent, multaque eruerentur antiquitatis monumenta, quæ plurimi contemnenda exiſtimant, eaque explicanda otioſis hominibus (ſic enim antiquitatis amatores appellant) relinquunt; ea Carolus diligentèr inveſtigari, & aſſervari ſedulò iuſsit: (*d*) quorum cum tabulas ſcitas formis æneis, non ſine magna opera, magniſque ſumptibus effingi, vul-

gari-

(*d*) Vide magnificum, & verè Regium Opus: *Le Antichità di Ercolano eſpoſte. Le Pitture antiche, &c.* & *Catalogo degli antichi Monumenti di Ercolano*, *&c.* maximè Epiſt. Dedicat. ad Regem, & Præfationes.

garique curaſſet, eaſdem quaquaverſus ad Academias eruditorum hominum dimiſit, qui & abſtruſa rimari, & obſoleta explicare, & obſcura illuſtrare poſſent. Multa conſultò prætereo, ne veſtrâ benignitate in audiendo abuti videar; & tamen ſatis conſtare arbitror, quantum ſapientiſsimus Princeps litteris tribuendum, atque indulgendum putet. Volet igitur, cum Hiſpaniæ fortunam, felicitatemque reſtaurabit, aut conſtituet, maximum ſibi non deeſſe, ac certiſsimum litterarum præſidium. Volet cum ipſe, & ſibi, & Imperio ſuo fauſtiſsimo gloriam famamque ſempiternam optabit, diſciplinarum ſtudia, quæ

una

Digitized by Google

una immortalitatem pariunt, vigere. Ut quoties de ſe, de rebus ſuis geſtis ampliſsimis, de hoc regno ſuo, ſive amplificando, ſive illuſtrando cogitabit; toties de litteris, de diſciplinis, à quibus amplitudinis, & honoris adiumenta petenda ſunt cogitandum ſibi eſſe neceſſariò intelligat. Quamobrem fieri non poteſt, quin & litterarum ſtudia, arteſque omnes ab hoc uno Rege, quæ ad ſuam amplificationem, ſplendoremque deſiderant (deſiderant enim non nihil) accipiant; & nos maximâ voluptate hîc videamus, & Alexandri, & Auguſti ſæcula renaſci, ætatemque refloreſcere.

Digitized by Google

Sed videte, quæſo quid dicam, Cæſaraugustani, quantamque habeam animo, & quam altè defixam ſpem, fore, ut hoc Rege doctrinarum ſtudia floreant: tametſi hæc omnia, quæ commemoravi, & quæ certiſsima ſunt litterarum incitamenta: tametſi, inquam, hæc omnia deeſſent; tamen, neque animo ego caderem, neque verò à ſententia diſcederem. Quid ita tandem? imò potius, quid non ita in animum inducam, cum unus Carolus tot ſummis, egregiiſque virtutibus præditus, tot rebus geſtis ampliſsimè cumulatus, unus ipſe Carolus ſatis ſuperque eſſe poſſit, ad omnia hominum ingenia ſtu-

Digitized by Google

ſtudiorum amore inflammanda? Nam omninò ita ſe res habet: ut ſicut virtus aliqua ſingularis, ac præſtans, nobilem etiam, atque eximium ſcriptorem, à quo celebretur deſiderat, & flagitat: ſic profectò magna doctorum hominum ingenia non niſi magnis de rebus, ampliſsimiſque propoſitis argumentis ad ſcribendum adducantur. Nemo eſt enim, qui ſcribendi laborem moleſtum ſanè, ac faſtidii plenum ſuſcipiat, ac ferat, qui non idem ſperet aliquem ex ſuis lucubrationibus, ſudoribüſque fructum, atque ſplendorem: quam quidem ad utilitatem commendationemque plurimum momenti affert vis & na-

tura ipſius argumenti. Sicut enim in reliquis vitæ humanæ rebus fieri videmus, ut ſi quis artem, materiamve humilem, ac ſordidam tractet, animo fiat & humili & ſordido; ſin in re magna aliquâ verſetur, & ſublimi, magnos etiam ſublimeſque ſibi animos ſumat: itidem in rebus litterariis fieri experimur, ut tenuia, atque humilia ſcribentis animum deprimant, neque unquam paulo altius erigi patiantur: grandia verò & magnifica argumenta auctoris animum accendant, ſuamque videantur quodammodo præſtantiam, & amplitudinem cum illo communicare. Quo fit, ut ipſa per ſe oratio

Digitized by Google

mirandum in modum creſcat, maximumque ornatum habeat, & dignitatem. Quin etiam, ſi ipſa deſint orationis ſtylique lumina exquiſitiſsima, tamen oratio ſatis ornata à pulcritudine rerum ipſarum videatur; (ut matronæ ſolent graviores, quæ contemptu fucatorum ornamentorum, ornantur maximè) & auctor ipſe, ſcriptorque ſperet ab ſplendore, & maieſtate argumenti, non levem ſibi futuram eſſe apud poſteros commendationem. Res enim ipſa per ſe ampla, & illuſtris cum omnium animos ad cognitionem moveat, & alliciat, ſecum quodammodo rapit auctoris nomen ad gloriæ immortalitatem. Atque hinc

ſanè

Digitized by Google

ſanè factum eſt, ut rerum maximarum ſcriptores extiterint quamplurimi, cum de rebus exilibus, ac ludricis pauci admodum ſcripſerint, & non niſi ii, qui intemperantèr abuterentur & otio, & litteris. Quam multa enim, quamque multi de Alexandro Macedone ſcriptores & Græci, & Latini nobis tradiderunt? Quam item multa de Cæſare Auguſto, & Oratores, & Hiſtorici, & Poetæ ſcripta reliquerunt? Quam multa denique, ut propriora ſæcula luſtremus, de Carolo V. de Ludovico XIV. deque aliis magnis Principibus omnium gentium ſcriptores prædicarunt? Sperabant nimirum, quod & aſſequutos eſſe

vide-

Digitized by Google

videmus, quoniam nulla ætas de illorum Regum virtutibus, laudibuſque eſſet tacitura, fore, ut ipſi pariter cum illis in quandam gloriæ ſocietatem, poſſeſsionemque arceſſerentur.

Nunc verò, Cæſarauguſtani, cum ab hoc uno Rege videamus, non modò huius ætatis, ſed ſuperiorum etiam temporum, veteriſque memoriæ virtutes non iam æquari planè, ſed ſuperari etiam vincique; quid eſt, quod de hominum præſertim Hiſpanorum ingeniis, ſtudiiſque deſperemus? Nam cum ille unus & Alexandri virtutem, & Auguſti potentiam, & Caroli felicitatem, & aliorum Principum decora univerſa com-

ple-

Digitized by Google

plexus ſit; deerunt, credo, tantarum rerum admiratores Hiſpani, laudatoreſque. An cum ille regni ſui fines tuebitur, & amplificabit; cum Hiſpani nominis hoſtes (ſi quidem ulli futuri ſint Carolo Rege Hiſpanorum hoſtes) victor fugabit, proſternet, proteret; nulli erunt, qui partas victorias, actos triumphos, erecta trophæa ſcriptis celebrent? An cum ille rurſus pacem populis conſtituet, cum iura dabit, cum felicitatem ſtabiliet, nulli erunt è noſtris hominibus, qui illius manſuetudinem, æquitatem, diligentiam, prudentiam prædicent? Jam verò Carolo præſente, cum ipſe ſeſe offeret illâ regiâ oris

Digitized by Google

vultuſque maieſtate , illâ corpo-ris dignitate , illâ morum comi-tate , illa ſermonis humanita-te, illo non tam regio apparatu, quam omnium maximarum , egre-giarumque virtutum comitatu ul-trà humanam propè ſortem cum ſeſe oſtendet venerandus : ſile-bunt ſcilicet Hiſpanæ Muſæ, quæ nunc ſolo illius nomine audito, & adventûs rumore famâque per-culſæ continere ſeſe non potue-runt. Equidem cum his proximè ſuperioribus diebus , aut urbem hanc ipſe luſtrarem, aut ab aliis ornamenta feſta urbis, apparatum-que magnificum audirem , animus meus iucundiſsimâ quâdam per-fruebatur oblectatione : facilique

con-

Digitized by Google

coniecturâ præcipiebam, quid eſſet in poſterum futurum. Nuper verò cum CAROLUS ſummâ ordinum conſenſione, ſummo gaudio, Divis etiam hominibuſque plaudentibus, Hiſpanorum Rex ritè, & ex ordine ſalutatus publicè eſt: qui tum fuit, Deus bone! Magnatum noſtrorum ſplendor! quæ populi frequentia! quæ alacritas civium! quæ hoſpitum, exterorumque admiratio! quantum omnium ſtudium! O fauſtiſſima illa omnia! O iucundiſsimas populi voces! O felicem diem illum, quo quidem die Cæſarauguſta ſuis propè convulſa ſedibus, ad celebrandum nomen CAROLI, plaudendumque CAROLO accurrit!

non

Digitized by Google

non enim modo omnium ordinum, ætatumque homines, ſed tecta ipſa, parieteſque, ipſa quoque Sanctiſsima Divorum ſimulacra tanti, tamque chari nominis plauſu commoveri videbantur. Nimirum intelligunt omnes, nullum maius populis à Deo contingere poſſe beneficium, quam iuſtum, honeſtum, fortem, prudentemque habere ſe Regem. Hunc verò ſciunt eiuſmodi eſſe, in quem omnium temporum, omniumque Regum virtutes confluxerint. Multa de illo ſumma omnia, ac propè divina prædicari ante audierunt; tum verò illud potiſsimum, eſſe Carolum Hiſpani nominis, laudiſque cupidiſsinum:

mum: hunc non ament? hunc non exoptent ſummis votis! huic non immortalitèr applaudant!

Nolite ergò dubitare, Cæſaraugustani, quin plurimi noſtrorum hominum ſint poſtea futuri, qui has eaſdem virtutes, maximaſque res geſtas ſuis ſtudiis, laboribus, ſcriptiſque immortalitati commendent. Excitabuntur enim ſine dubitatione Hiſpanorum ingenia ad litteras amandas, colendaſque, cum Rex ipſe prudentiſsimus, qui omnes litterarum utilitates ad Regni commodum, felicitatemque cognoſcit, atque adeò expertus eſt, litterarum ſtudia, culturamque fovebit, ac tuebitur: cum præterea

ſtu-

ſtudiis , atque litteratis homini-
bus amplam materiam ad ſcri-
bendum præbebit. Quæ cum ita
ſint non poſſum non fauſtiſsima
omnia augurari ; primum huic
auguſtiſsimæ Academiæ graviſsi-
marum quarumque Artium , ac
diſciplinarum cultrici ſapientiſsi-
mæ : deindè ipſi Cæſarauguſtæ
Civitati , quæ cum antea ſcien-
tiæ gloriâ florentiſsimas Civitates
alias ſemper æquavit ; tum etiam
hoc tempore , quæ in ea eſt eru-
ditorum virorum copia , eorum-
demque in colenda doctrina ſtu-
dium , & ardor , longo interval-
lo videtur ſuperare. Vos verò,
Adoleſcentes optimi , qui nunc
in ſapientiæ campum petitores
deſ-

deſcenditis , videte , quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Unum habeo vobis præcipere; ſic incumbite ad litterarum ſtudium, ut Maiorum veſtrorum doctrinâ, Patriæ veſtræ gloriâ, tanti Regis tutelâ, ac patrocinio digni exiſtimemini. Dixi.

IMPRIMATUR:	IMPRIMATUR:
Iſla, Vic. Gener.	*Santayana.*

Digitized by Google

Quomodo in naturalibus diſciplinis tradendis diſcendiſque, oporteat omnes rationem ſequi ducem.

ORATIO.

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere,
In his Poeta hic nomen profitetur ſuum.

LICET enim iiſdem verſibus mihi affari vos Auditores meos, quibus affatur Terentius ſpectatores ſuos. Nam ſi illud

Digitized by Google

illud mihi iam ab initio huius
muneris mei propoſitum fuit, il-
lud curavi etiam maximè, ut ni-
hil ex hoc loco ornatiſsimo, au-
guſtiſsimoque dicerem, quod idem
non eſſet, & cum privata uniuſ-
cuiuſque, & cum communi om-
nium utilitate coniunctum: nunc
verò id ipſum hâc oratione meâ
me præſtiturum eſſe confido; op-
to quidem certè, quod ego vobis
in ipſo limine adituque orationis
denuntio, ut & vos ad audien-
dum me multò quam antea, ſi-
quidem fieri poſsit, benigniores;
& eodem utique, quo affectus ego
ſum, ſtudio animoque accedatis.
Dicam enim, quid in diſcipli-
nis tradendis diſcendiſque omnes

ſpec-

Digitized by Google

ſpectare, quid oporteat ſequi. Nam ego mihi videor intelligere, quod vos ipſi profectò non ignoratis, Cæſaraugustani: iam ab eo tempore, quo iuniores quidam philoſophi prodierunt, novamque, quam hodie dicimus, philoſophandi rationem in ſcholas induxerunt, continuò eandem iudicandi, ſentiendique licentiam, antea uſu ipſo conſtrictam, veluti ſolutis vinculis, in cæteras omnes artes invaſiſſe, ac permeaſſe, magnamque indè extitiſſe inter doctos homines animorum contentionem; quorum alteri antiquorum auctoritatem ſequerentur, ac religiosè ſuſpicerent, & pro eorumdem ſententiis, tanquam

pro aris, ac focis dimicarent; nihil in ulla unquam doctrina innovandum, aut antiquandum eſſe dicerent; probandumque id eſſe ſolum, quod ab antiquis philoſophis dictum decretumque eſſet: hanc enim eſſe ipſam veritatis viam, quam nobis ſuis veſtigiis tritam, explanatamque Maiores noſtri reliquiſſent; hâc facilem eſſe nullis offenſionibus, aut ſalebris curſum, qui certè ad ſapientiam rectàque perduceret. Rurſus alteri veterum auctoritatem peterent, & labefactarent, quorum fidem omni ratione, toto pectore, manibus pedibuſque elevare conniterentur; eorum hominum ſententiam, in iis rebus,

quæ

Digitized by Google

quæ ratione exquirantur non eſſe temerè probandam; nam non omnia ſciſſe antiquos; multa etiam ignoraſſe; multa nunquam attigiſſe; in multis nunquam periculum feciſſe; in iis ipſis rebus etiam, quas illi tractaſſent, erraſſe nonnunquam turpitèr. Cui verò non ridiculum, & abſurdum videri, quamlibet antiquorum ſententiam pugnatiſsimè defendere, & non potius quid conſtantiſsimè dicatur, exquirere? An non eâ ratione omninò præcludi induſtriæ aditum, extingui hominum ingenia, labores conatuſque infringi, ſi eò ventum iam ſit denique, ut homines nihil per ſe ipſi invenire poſsint, & excogi-

tare, ſed ab aliis modò inventa, & quaſi manibus tradita debeant accipere?

Hæc inquam, Cæſarauguſtani, quotidie dici à pleriſque, atque in vulgus etiam iactari, maximumque indè fieri ſolere inter doctos homines diſsidium, intelligitis: quibus ego utriſque, ſi fieri poſsit, medicinam oratione noſtrâ adhibere, utrorumque animos conciliare, ſtudeo vehementer; neque id, quare fieri non poſsit, ſi me audire voluerint, intelligo. Id enim dicam, atque exponam oratione meâ, quod utrique illorum generi placere oporteat; nec omninò adverſarium quemquam vereor, niſi qui

prius

prius veritati ipſi adverſetur. Statuo igitur, in his diſciplinis, quæ ratione conſtant, & nituntur, ſive tradendis, ſive ediſcendis, rationem optimam ducem ſequi omnes oportere. Quæ dum dico, ſatis vos intelligere opinor, me nec de Theologia diſputare, neque de aliis doctrinis, quæ quoniam in rebus verſantur, vel altioribus quàm quantum humana ingenia poſsint aſpicere, vel ab hominum arbitrio, ac voluntate penitus aptis; plus & Dei, & hominum auctoritati, fideique, quàm rationi, argumentiſque tribuant, neceſſe eſt. Non enim ſi Theologus, aculeata, & contorta quædam argumenta invenerit; non

ſi

ſi Jure - Conſultus vim poteſtatemque legis parum fuerit aſſequutus ; propterea , vel alter Eccleſiæ , Patrumque auctoritatem impetere , vel alter legem , tabulamque obſcuram infringere debet , aut poteſt. Has ergo facultates , vi ſuâ ab aliena fide pendentes , eorum , qui illas profitentur , iudicio relinquamus. De iis verò , quæ materiam habeant , hominum diſputationi , atque inveſtigationi ſubiectam diſputemus ; ſi vobis ita videtur , Cæſaraugustani , in quibus rationem valere per ſe plurimum , & apud omnes valere etiam debere, iterum confirmo.

Ac mihi quidem in hominum litte-

litteratorum rationes, ſtudiaque intuenti diligentius, ita fermè videntur, & auctoritatis, & rationis officia ſolere diſpertiri, ut quæ homines ingenioſi, quibus cor ſapiat, poſſunt ipſi per ſe aſſequi cogitando, non facilè, niſi fuerint ratione convicti, aliis accredant: quæ verò illi nequeunt oculis ſuis inveſtigare, eorum veritatem fidemque, ad illorum, qui narrent, auctoritatem accomodent. In qua re tota id uſu venit profectò, ut quæcumque ductu rationis in animum inducimus, ea mordicus teneamus; neque ab iis unquam avelli, moverique, aut ægrè admodum patiamur: ut qui ibi deduci nos,

ac

Digitized by Google

ac falli nequaquam ſuſpicemur: at quæ ab aliis accipimus, tametſi plerumque nihil ſit, quare repugnemus; minus tamen adhæreſcere, ac confidere iis ſoleamus. Quod ita uſu venire in rebus humanis neceſſe eſt. Nam cum multæ ſunt cauſæ, quæ hominem imprudentem in errorem poſſunt inducere; tum plurimæ ſolent concurrere, quibus quis velit alios in fraudem illigare. Qui enim dubitemus, quin aut temeritate, aut arrogantiâ, aut odio, aut amore, aut adulatione capti ſcriptores tranſverſi agantur, cum videamus confuſas, ac perturbatas, ac turpem in modum defœdatas Regum, Populorumque eſſe hiſtorias; nec in iis

ſcri-

Digitized by Google

ſcribendis, aut unam veritatem rerum, aut certè veritatem maximè homines ſpectaſſe? Jam verò rem ipſam non ſatis intus, & in cute cognoſci; aut rei varia tempora, ſtatus varios, adiuncta varia, non accuratè animadverti; aut mentem hominis inani quâdam ſpecie deludi, aut præiudicatis opinionibus ferri, aut nimis ſenſibus credere ducique, aut in mille errandi vias ingredi: hæc inquam ſæpiſsimè contingere, quis eſt omnium qui ignoret? Et verò tot ſunt ab hominibus cæteroquin eruditis excogitata portenta, tot parta rerum monſtra; tam turpitèr, tamque fœdè ab illis, in rebus minimè obſcuris, mi-

nimè,

Digitized by Google

nimèque ad cognoſcendum diffi-
cilibus erratum eſt, ut ſi ego
vellem eruditionis famam, levem
illam quidem, ex hac re colli-
gere, aut ſi etiam hic locus poſ-
tularet, poſſem nullo labore, in-
gentem illorum errorum, peccato-
rumque Iliada recenſere. Marcus
quidem Tullius peritus auctor, &
rei litterariæ prudens, ut nihil
aliud dicam, in iis libris, qui de
Divinatione inſcribuntur: *Neſcio
quomodo*, inquit, *nihil tam abſur-
de dici poteſt, quod non dicatur
ab aliquo Philoſophorum.* Quin
etiam M. Terentius Varro, quem
unum & Græcorum & Romano-
rum doctiſsimum Auguſtinus ap-
pellavit: *Nemo*, ait, *ægrotus,
quid-*

quidquam ſomniavit tam infandum, quod non aliquis dicat Philoſophus.

Quamobrem ſummus ille vir Socrates, qui parens quidam exiſtimatur Græcorum philoſophorum, quique ab Apollinis oraculo ſapientiſsimus eſt iudicatus, cum & arrogantiam ſophiſtarum, qui ſibi rerum omnium ſcientiam, impudentèr vendicabant, videret; & nihil eſſe omninò apud philoſophos certum, nihil conſtans, nihil fixum ratumque, ſed omnia potius illorum dogmata, aut tenebris, aut erroribus plena circumferri animadverteret, hanc ille viam omninò diverſam ſequutus eſt, ut apertè diceret: *Nihi ſcire ſe, atque id unum dumtaxat*

ſe

ſe ſcire, *quod nihil ſciret*. Modeſtè ille quidem quamquam non nihil modum excederet. At qui deinceps Socratem ſequuti ſunt nonnulli philoſophi, omnia ſcientiæ repagula perfregerunt; neque ſolum ſcire ſe aliquid negaverunt, ſed ne ipſum quidem, aut *ſcire*, aut *neſcire*, ſcire ſe, aut quemquam alium poſſe, inficiabantur. Falsò iſtud quidem, ne dicam ſtultè contendebant; qui dum ſcyllæ ſcopulos, quod aiunt, vitarent, in charybdin inciderent. Nam dum illi verentur, ſi quid aſſenſerint, ne in errorem labantur, & impingant; negantque propterea ſe quidquam ſcire, & verò etiam poſſe, ſibi, &

reli-

Digitized by Google

reliquis hominibus ad veritatem aditus omnes præcludunt ; & dum ipſi philoſophantur , poſſe quemquam omninò philoſophari ſecum ipſi pugnantes , negant.

Sed ego , vos credo iamdiu videre , Cæſarauguſtani , quo tandem hæc omnia pertineant ; ut ſcilicet planè intelligi poſsit , id quod nemo eſt ſapientum , qui non probet ; non magis debere philoſophorum dogmata , ſive decreta apud nos valere , quam quibus illi ducuntur , argumenta valeant : neque ſi quis philoſophorum ſententiam de re ſuam dixerit , propterea illam certam , & fixam , & ratam eſſe habendam; nec imitandos, probandoſque eſſe

Py-

Digitized by Google

Pythagoricos, quos ferunt, ſi quid affirmaſſent in diſputando, cum deindè rogarentur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos: *Ipſe dixit.* Ipſe autem erat Pythagoras: tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. Quantò verò rectius ille Ariſtoteles, Academici (ad vos enim orationem converto meam, qui doctrinæ Ariſtoteleæ pretium intelligitis, neque ſciolorum noviſsimorum temerarias de Ariſtotele cavillationes floccifacitis) quantò ergo rectius Ariſtoteles, quem ego unum ex omni antiquitate plurimarum rerum cognitione præſtantiſsimum iudico: *initium quoddam*, ait, *&*

qua-

quaſi nervos , atque artus eſſe ſapientiæ non temerè credere? Quâ quidem in re , ut in aliis plurimis gratulari mihi videor poſſe huic noſtræ ætati , quæ ut eruditiſsimis in omni doctrinâ litteriſque , hominibus , præter proximè ſuperiores egregiè abundavit ; ita maximè hanc nobis viam , interclusam olim , aperuit , multorumque veſtigiis recentibus edocuit : ut non præiudicia , non aliena placita , non iuratas opiniones , ſed rationem , naturamque veri fœcundam ſequeremur ducem. Neque vos profectò ignoratis fuiſſe quoddam tempus , quo quidem tempore vix quiſquam ſui iuris, ſuique iudicii in re litteraria eſſe

vide-

videbatur : quo tempore litteræ omnes apud Maiores noſtros eo loco fuerunt, quemadmodum ab iis, qui de illa ætate ſcripſerunt, accepimus; ut cum doctrinæ profeſſores, omnia deferrent antiquorum iudiciis; cum nihil ab illis dictum eſſe crederent, quod non certum eſſet, & conſtans; non modò non auderent, veterum philoſophorum ſententias, aut caſtigare, aut quod profectò oportebat, magna ex parte retractare, ſed ne ad trutinam quidem, dubiumque revocarent. Ita errores cum diuturnitate ipſa temporis, tum magnis etiam Doctorum nominibus ſanciebantur. Quæ quidem prava religio imitandorum anti-

anti-

Digitized by Google

antiquorum, iurandique in illorum verba eò iam proceſſerat, ut cum antiqui tantum non omnes græcè ſcripſiſſent, eorumque ſcripta ineptiſsimè facta fuiſſent latina; tamen è re ſua, atque philoſophi perſona, naturaque eſſe iudicarint, ſordes verborum, & horridam ſermonis barbariem adhibere, ne aut nimis grammatici, aut parum viderentur philoſophi.

Erat præterea illis Doctoribus à re ipſa inſitus quidam faſtus, qui ipſis grave quoddam ſupercilium imponeret; ut quemadmodum ipſi in veterum doctrinam iiſſent, ſic in ſuas ipſorum ſententias vellent reliquos omnes

mortales pedibus , manibuſque deſcendere. Quod ſi quis eſſet, aut ingenio paulò erectior , aut à doctrina paratior , qui auderet contrà niti , & receptas ab aliis ſententias tentare ; ac labefactare; tum verò illum omnibus convitiis impetere, Scholæ proditorem, Reipublicæ litterariæ peſtem , nequiſſimum omnium mortalium appellare , illi omnia mala dicere ; nec verò iam amplius argumentis, quod verum fuiſſet , ſed clamoribus aſſiduis , ſed pugnis , ſed rixis , ſed ferro demum , & ſanguine etiam, tam immanem , ut illi boni philoſophi dicebant , iniuriam perſequi , & ulciſci.

Non libet autem ea diſtinc-

tius

Digitized by Google

tius meminiſſe, quæ plerique illius ætatis philoſophi, furore quodam perciti, in adverſarios quique ſuos intenderunt; & ſatis tamen conſtat neceſſe fuiſſe, ut & Pontifices Maximi, & Fidei Quæſitores ſeveriſsimis decretis quorumdam intemperantiam coercerent, & Reges ipſi graviſsimis propoſitis ſuppliciis comprimerent. O tempus illud bonis omnibus calamitoſum, litteris verò funeſtiſsimum! Cum ii, qui reliquis ad virtutem præire exemplo ſuo deberent, erant ipſi diſcordiarum duces! qui odia reſtinguere, furorem comprimere, audaciam coercere; ipſi flammas communi incendio, faceſque

Digitized by Google

ſubmittebant ! quique eam trac-tabant doctrinæ partem præſtantiſsimam, quæ morum, virtutis, ac diſciplinæ omnis magiſtra habita eſt; longiſsimè ab omni officio, & humanitate abhorrebant! Hæc autem omnia graviſsima litterarum, ac totius Reipublicæ mala, ſcitote, ab eo, quem paulò ante dicebam, fonte dimanaſſe: quod ſibi quiſque perſuaſiſſet, atque altè in animo ſuo defixiſſet, ſuam eſſe veriſsimam ſententiam, contra quam ſi quis per ſummum ſcelus, ſummamque impudentiam, quid diceret; videndum eſſet profectò Conſulibus, Magiſtratibus, iiſque omnibus, qui cum imperio eſſent, ne

quid

Digitized by Google

quid Reſpublica detrimenti caperet.

Nunc verò paſsim obortâ omnibus non ſine Dei magno munere, ſapientiæ luce, alia eſt Doctorum ratio, alia mens, alius animus. Intelligunt enim id, quod erat per ſeſe minimè obſcurum; mentem noſtram tenebris eſſe undique circumfuſam: quamobrem nec veteres illos, nec iuniores hos philoſophos, reliquoſque magiſtros, ſcire omnia, nec verò etiam poſſe: æquum autem nec eſſe, nec docto homine dignum, cuiuſquam auctoritatem veritati præponere. Vident, ac ſentiunt in iis, quorum notitiam ipſa natura tenebris obtexit, &, ut ait

De-

Democritus, in profundum demerſit, integrum cuique, ac liberum eſſe, quæ potiſsima viſa ſint, opinari: nec idcircò eos, qui contrà ſenſerint, aut inſanos, aut temerarios, aut imprudentes eſſe iudicandos. Nam per Deum immortalem! quæ hæc eſſet tanta perverſitas, ut cum ego vellem conieƈtari, ſcrutari, argumenta ducere, alios nollem eâdem ratione agere, & inquirere veritatem? Cur mihi uni ariolanti, & divinanti vellem ita credi, quaſi oracula ex tripode, quod aiunt, effunderem?

Quamobrem non poſſunt ſatis laudari illi homines, quales in hac Academia non multos

ſolum,

Digitized by Google

ſolum, ſed omnes eſſe ſcimus, qui cum hæc probè noverint, & rationem ſequuntur ducem, & illam fugiunt, maximèque averſantur elationem animi, quæ aliquibus iam penè inſederat, ut dominari vellent hominum iudiciis: aliorum omnium doctrinam ad ſuam ipſorum mentem veluti adamuſsim accomodare, & exigere: ſi qui aliter ſenſiſſent, quàm illi ſentirent, eoſdem bardos, ſtultos, ſtolidos etiam dicere, maledictis impetere, convictis proſcindere, fictis fabulis in invidiam vocare, aut ſparſis etiam rumoribus apud imperitum vulgus traducere. Hæc quæ erat, non tam docentium,

quam

quam delirantium, & inſanientium hominum ratio, iam ut videtis penitus evanuit, & extincta eſt. Longè enim ab hac doctrina, quæ nunc viget plurimum, longè ab his noſtris moribus ſuaviſsimis, longè ab hac Profeſſorum gravitate, ac ſapientia, illa barbaries abhorret.

Et verò quid aliud, Cæſarauguſtani, tantis laboribus, ſtudiis, vigiliiſque quærimus, niſi ut mentem, quâ nihil hominum generi præſtantius à Deo datum eſt, variarum, multarumque rerum cognitione inſtructam illuſtremus, atque ornemus? At quo tandem pacto hanc cognitionis, doctrinæque ſupellectilem comparabimus,
niſi

Digitized by Google

niſi duce ratione , ac veluti iudice noſtrarum cognitionum ſedulò, accuratèque viderimus, quid ſit in rebus ſingulis falſum , quid verum , quid probabile , quid certum , quid conſtans , quid abſonum ; quo commodius , & vera complecti , & falſa reiicere poſsimus ? præſertim cum tot ſint, tamque inter ſe diſcrepantes doctorum hominum ſententiæ ; ut niſi ſingula omnium momenta, niſi ſingula illorum ſuffragia , libero animo , libero iudicio , nullis partium ſtudiis , nullis præconceptis opinionibus perpendamus; & quæ ſit , inter tot ſententias, naturæ rerum conſentanea potiſſimum , quæ ad veritatem magis

accedere videatur, quæ contrà à veritate declinet, & aberret longius, intentiore curâ niſi viderimus, profectò fieri non poſsit, ut veritatem aliquando aſſequamur, aut in varios ne prolabamur errores. Ut enim ſi quis diceret, velle ſe longum, & aſperum, & multis diverticulis dubium iter ſine ulla offenſione, & errore conficere; idemque viam ingreſſus nullo certo duce, nullis peritis comitibus, aut oculos occluderet, aut ſibi caput obvolveret, ineptum illum ſanè, atque inſignitèr temerarium rideremus, qui ſibi ipſe illa eadem auxilia, quæ natura dederit, ac ratio monſtrarit aptiſsima ad viam
per-

peragrandam, demeret; ſic eum, aut non multò ſecus facere exiſtimo, qui cum in diſciplinis errores vitare, verumque invenire ſe velle dictitet, rationem, quaſi clariſsimum quoddam mentis humanæ lumen extinguit, ſeque totum alieno arbitrio, voluntatique committit.

Atque ut omnes intelligant, quam latè illud pateat, quod ego ante commemoravi, quamque ego ſim à partium ſtudiis, omnique contentione alienus: iam de me, deque ea, quam profiteor dicendi facultate pauliſper loqui decrevi, voſque ipſos conſulere, quid mihi agendum, quid fugiendum eſſe cenſeatis. Tametſi

Digitized by Google

ſi enim hactenus de Philoſophia præſertim diſſeruerim, eamdemque in exemplum adduxerim, non ego tamen idcircò feci, quod ea, quæ dicebam non eſſe reliquis omnibus diſciplinis communia iudicarem. Sed quod Philoſophia eiuſmodi ſit facultas, ac doctrina, quam quicumque gravioribus artibus dant operam, omnes initio attingant, & in qua dum verſantur homines, ſoleant quid potiſsimum in ſtudiis ſequantur, ſtatuere: idcircò mihi erat maximè, de ea doctrina loquendum, quæ eſt veluti cæterarum omnium ianua. Nunc verò, quæcumque ego de Philoſophiæ ſtudiis dixerim, eadem, ut vos ad humanio-

res

res litteras , ad oratoriam facultatem, ad methodum harum litterarum colendarum, accomodetis, rogo.

Scitis profectò, Academici, quot ubique gentium, atque in omni ætate viguerint oratorum genera, quàm inter ſe diſsimilia, quàm etiam contraria. Fuerunt enim, qui tenue, acutum, ſubtile, nullis luminibus, nullis ornamentis ſplendidum, & illuſtre ſequerentur dicendi genus. Fuerunt, qui contrà floribus, & orationis luminibus omnia conſpergerent; nihil ut dicerent, quin eſſet omnibus coloribus artis diſtinctum, atque expolitum. Alii nervos argumentorum,

rum, ſententiarum robur, rerum ſtabilitatem, gravitatemque verborum curabant: alii verò tametſi res non negligerent, potiſſimam tamen habebant, ad aurium delectationem, ad orationis ſuavitatem, verborum curam, ac diligentiam. Hi demum magnificum, tumens, inflatum, turgidumque amabant orationis genus. Illi contrà demiſsè, exilitèr, ac propè ieiune, & diſputabant, & dicebant. Infinita ſunt, quæ perſequi poſſem, oratorum genera; ut ego non dubitem, quin, ſi quis ſcriptores omnes, & græcos, & latinos, qui fuerunt profectò innumeri, & quos recenſet, & in contentionem cen-

ſuram.

Digitized by Google

ſuramque vocat Tullius *in Bruto*, ſi quis, inquam, omnes legiſſet, unum aliquem alii omninò ſimilem non inveniſſet. Quid igitur, quæſo vos, Academici, in tanta oratorum varietate, & multitudine, mihi faciendum putatis? quam ego eloquentiæ formam, quod dicendi genus ſequar? Nam probare omnes, cum ſint alii aliis maximè contrarii, quì poſſum? quemcumque verò primum ſors obtulerit, eum maximè ſequi, inſani eſſet, ac dementis. Reliquum eſt ergo, ut id vos mihi conſilii detis, quod ego totâ hac oratione meâ perſequor, quodque omnibus aliis diſciplinis accomodandum eſſe iudico. Nam,

Digitized by Google

quam ego ſententiam primum de Philoſophia, deindè de Eloquentia explicabam, eandem ſi quis reliquis artibus etiam minoribus, ac levioribus accomodet, facilè ille quidem inveniat in omnibus maximè valere, maximèque dignam eſſe, in quam diſceſsio fiat.

Sed ego vos, velut in rem præſentem voco, Academici. Lis magna eſt non ſolum de diſciplinis maioribus, & gravioribus, ſed de primis elementis, de litteris etiam tradendis. Quis enim ignorat multos iam olim, ſed præſertim hâc noſtrâ ætate plurimos prodiiſſe tradendarum litterarum ſcriptores? quam multa il-

li

ii proferunt? quàm nova, & inaudita? quàm non antea uſitata? quàm peregrina etiam, & exotica? ut hæc illorum varietas, ac diſſenſio tanta præceptorum, argumento eſſe poſsit ad cauſam meam confirmandam. Nunquam enim tam multi de re una, præſertim nec implexa, nec ita diffuſa, nec procul à cognitione noſtra poſita, ſcripſiſſent, tamque inter ſe diſcordaſſent; ſi unus aliquis auctor quicumque ille eſſet, ab omnibus eſſet & probandus, & legendus. Sed ad propoſitum revertamur, propriuſque ad cauſam accedamus. Quod ergo cœperam dicere, videtis, quam ſint ii homines rerum di-

Digitized by Google

verſarum auctores, quam ſint ipſi inter ſe diſsimiles, quam non ſit Thomaſsinus cum Lokio, cum neutro horum Rollinius, cum nemine omninò Barbadignius conferendus. Rectè ne illi verò, an ſecus præceperint, non eſt huius, & loci, & temporis diſputare; ſed conſtat id quod ante dixi, eſſe eos inter ſe maximè diſsimiles, multaque, ut fit in omni controverſia, ab alio probari, quæ ab aliis reprobentur. Itaque rurſus à vobis quæro, quem mihi unum è tam multis auctoribus ſeligam? quem ſequar? cuius veſtigiis inſiſtam? quem reliquis omnibus præponam, à cuius doctrina, legibus, præſcriptis, monitiſque ne

latum

Digitized by Google

latum quidem unguem diſcedam? Intelligo iterum, Academici, vos mihi id conſilii tacitos dare, quod res ipſa poſtulat. Nam cum experientia confirmet, id quod dixit Horatius, nihil humanum eſſe, quod ſit ab omni parte beatum, nihil abſolutum eſſe, numeriſque omnibus perfectum; ſuadebitis, ut unum neminem habeam, mihi egregium eximiumque, cui tamquam ad ſaxum adhæreſcam. Sed ut apes, quarum eſt magna prudentia flores omnes vernos percurrunt, atque delibant, à quibus cum humorem exuxerint mellificum, iucundiſsimos, atque utiliſsimos favos ædificant: ſic ex ſcriptoribus

neminem mihi eſſe contemnendum monebitis, neminem etiam ſi fieri poſsit, prætereundum; atque ab omnibus quaſi eſſe libandum, atque exugendum, quod ad meam, ac Reipublicæ utilitatem arbitrer maximè conferre. Neque enim quòd Quinctilianus, aliique ex antiquioribus de tradendis diſciplinis multa ſcripſerint; idcircò non ſunt recentiores audiendi: nec quòd Lokius, Rollinius, aliique peregrini ſint, reiiciendi ſunt propterea: nec quòd Barbadignius multa iniuriosè in omnes ordines contorſerit, & evomuerit, idcircò omnia ſunt eâdem ratione improbanda. Non enim, aut loco, aut tempore, aut vocis

Digitized by Google

vocis ſono, aut habitu, cultuque corporis, ſed doctrina, & cognitione rerum, & iudicio ſcriptores commendantur. Modus adſit, & ratio, & prudentia: temeritas, ambitio, invidentia, partium ſtudia deſint; tum profectò, nec aliorum nobis errores obfuerint, & proderit ſapientia. Quod igitur vos mihi ad eloquentiam, ad humaniores litteras tradendas faciendum exiſtimatis: id ego ad omnem diſciplinam, quæ quidem ratione conſtet, nec auctoritate, aut Dei, aut hominum nitatur, pertinere arbitror. Ad quam unam veluti ſummam tota oratio mea revolvitur, ut nimirum depoſitis partium

Digitized by Google

tium ſtudiis, eradicatis, atque evulſis, extirpatiſque animo præjudiciis, nullo nimio in auctorem aliquem, nec amore, nec odio; ita diſciplinas omnes, aut à Doctoribus accipiamus, aut tradamus Auditoribus, ut rationem optimam ſequamur ducem. Quod ſanè quàm ſit iuſtum, quàm rectum, quantaſque habeat ad omnes ſcientias, omnemque vitæ uſum utilitates, & oratione meâ expoſui, & pro veſtra ſapientia intelligitis; & ut diligentius conſideretis, vos vehementer etiam, atque etiam rogo. Nam, & errores, qui ſunt in omni doctrina diſſeminati, caveri hoc modo poterunt; quæ tenebris obvoluta, illuſtra-

Digitized by Google

luſtrari ; quæ abſcondita , & abſtruſa , explorari : quo fiet , ut cum maior in dies ſingulos lux, & ſplendor artibus accedat : tum verò præſertim illud animorum diſsidium , illud diſcordiarum ſeminarium exterminetur , ac funditus evellatur. Quod ut ratum ſit, Deum immortalem oro, ut hæc Civitas , hæc Academia , quæ doctiſsimorum hominum feraciſsima ſemper fuit , hi Profeſſores Sapientiæ , qui mihi videntur priſcorum gloriam referre , hi Adoleſcentes optimi , qui , quo ſint ingenio , quâ mente , quo animo , quo ardore litterarum , ipſis oculis , vultu , manibus, geſtuque declarant , hi omnes , in-

Digitized by Google

quam ſint, ut religione, ut pietate, ut moribus integerrimi; ita etiam doctrinâ, eruditione, ſapientiâ apud omnes commendatiſſimi. Dixi.

IMPRIMATUR: IMPRIMATUR:

Iſla, Vic. Gener. *Santayana.*

Digitized by Google

Librorum , quam habemus copiam , multis ad veram doctrinam comparandam, impedimento eſſe.

ORATIO.

Cum multa ſunt,quæ gratulari huic noſtræ ætati mihi videor poſſe; tum nihil præclarius , nec ad communem utilitatem illuſtrius , quam quod omnia ad omnes artes facilè comparan-

paran-

Digitized by Google

parandas ſubſidia nobis peperit. Nam ſi quis ad ſuperiora tempora convertat oculos, inveniet ſummam ubique fuiſſe librorum paucitatem; & quod exemplaria cum eſſent ſcribenda manu, non poterant non eſſe rara; & quod eâdem ratione, non quivis de plebe poſſet libros edere, neque editos ſibi tranſcribendo comparare. Itaque, neque plures poterant artibus ſeſe dedere, cum libris carerent; neque iidem, qui ſeſe earum ſtudio dedidiſſent, ſatis abundabant libris, cum pauci admodum ſcriberent. Nunc verò tanta eſt in omni genere librorum copia, ut qui artibus non det operam dicere cogatur,

ſe

Digitized by Google

ſe potius, ſuumque ſtudium libris, quam ſibi libros defuiſſe. Accedit genus ipſum librorum, qui id effecerunt maximè, ut ſcientiarum viam, quæ, & longa nimis, & aſpera videbatur, & brevem, & planam haberemus. Huc ſpectant in auctores omnes infiniti propè commentarii, qui non modò rem paulò obſcuriorem, ſed ne voculam quidem, & interpunctionem prætereunt; adiectæ ſunt præfationes, atque indices & rerum, & verborum copioſiſsimi. Ad ſingulas verò artes, quæ ſubſidia excogitata, inventa, & prolata non ſunt? Ut Grammaticas, Lexica, Compendia, Criticas, & ſexcenta

alia

Digitized by Google

alia præteream, quàm multas habemus *ſtudiorum methodos*? quàm ſunt illæ breves? quàm dilucidæ? quàm facilè nos ad arcana ſcientiarum, quaſi manuducunt? ut qui in tanta librorum copia, tantâque commoditate, breviſsimè litteratus non ſit is bardus, aut ſtipes eſſe multis videri poſsit. Sed videte, Cæſarauguſtani, quàm ego ſim ab hac opinione alienus; atque ſcitote eam, quam profero ſententiam, & ſummis viris placuiſſe, & omnium veſtrûm ſtudiis eſſe maximè neceſſariam. Dico igitur, eiuſmodi librorum copiam, poſſe quidem ad veram doctrinam comparandam eſſe adiumento; fuiſſe verò, & eſſe
mul-

multis impedimento: nimirum ea ipſa, quibus ſperabant homines, ſcientiarum amorem excitandum, plurimorum ſtudia reſtinxerunt, conatuſque retardarunt.

Atque ut rem conficiam, mecum quæſo diligentèr attendite, quem ſibi ferè homines in ſtudiis litterarum finem proponant; ſtatuetis, vix alium eſſe unum præter utilitatem, & gloriam. Utilitatem dico, non illam quæſtuoſam, quæ ex librorum mercatura quæritur, quæ quidem, & ſordida eſt, & ad pauciores pertinet: ſed illam, quæ ſive ad privata negotia gerenda, ſive ad Reipublicæ munia, & honores aſſequendos, ex doctrinæ opinione

Digitized by Google

ne naſcitur. Gloriam verò eam dico, quam de hominibus homines habent ſcientiæ exiſtimationem, ut propterea illos, & mirentur, & laudent, & prædicent. Qui enim ſtudiorum laborem per ſe ipſi expetant, qui ſine ulla utilitatis, & commodi ſpe, ſine ulla nominis commendatione, velint libris incumbere, & impalleſcere, invenietis profectò paucisſimos. Eiuſmodi conditionis ſumus, ut laborem niſi quâdam veluti ſuavitate conditum fugiamus; nec non niſi magnis propoſitis præmiis, magnâ ſpe adducti, ad illum ſuſcipiendum moveamur. Hinc fit naturâ, ut ſi quæ minimo labore, minimo item

cona-

Digitized by Google

conatu, ac ſudore noſtro compararare nos poſſe credamus; ad ea, nunquam aliam viam, quæ quidem, & longior, & aſperior ſit inquiramus, & ſequamur. Inſani enim propè eſſet, ut quò compendio, rectàque poſsis accedere, eò nolle te, niſi longo viarum circuitu, longiſque anfractibus pervenire. Quiſquis igitur iudicet, ſibi præſto eſſe, & ad manum, quod aiunt, eruditum evadere, næ ille difficiles, & aſperas diſcendi rationes contemnet. At id ipſum, quod ſingulare, magnumque ad artium ſtudium commodum videtur, hoc ego dico maximum eſſe, & palmare incommodum. Nam cum

ple-

Digitized by Google

plerique ſibi perſuadeant, ſeſe primo ſtatim incurſu, atque unius libelli critici lectione, ſi non omnia, at multa, & ut ipſi ſibi blandiuntur ſumma utique illius artis, quam quærebant didiciſſe; omnem reliquam ſtudiorum cogitationem reiiciunt; & cum rivulis ſitim ſuam expleverint, fontes, & capita doctrinæ ſacra contemnunt. Quid enim ultra quærant? Nam ad quamcumque artem ſe convertant, habent primùm illius artis hiſtoriam, cauſaſque, aut florentis, aut corruptæ, & perditæ diſciplinæ: habent præterea auctorum, qui de ea arte diſputarunt, catalogum, ubi eorum vi-

Digitized by Google

ta deſcribitur, opera recenſentur, in trutinam vocantur, aut probantur, aut reiiciuntur. Quid plura? Nihil opus eſt pluribus, atque ſcitis, hæc omnia in volumine ſatis exiguo ſolere comprehendi; quæ ſi quis arripuerit, perluſtrarit, didicerit, bone Deus! ut doctrinæ copiam, & varietatem miratur! ut ſe felicem, & beatum putat! ut ſibi tacitâ quâdam mentis titillatione blanditur! Ut verò primùm ſe dat occaſio de illa arte diſputandi, ſuos doctrinæ, atque eruditionis theſauros effundit: hiſtoriam exponit, auctores recenſet, annos computat, difficultates extricat, criticam exercet; auctores

Digitized by Google

tores etiam graviſsimos de loco proturbat ; obſcuros , ut lubitum ipſi eſt , extollit ; & ſi quæ ſunt ab antiquis uſque temporibus ſtabilita iudicia , contemnit, præiudicia vocat , vulgique opinionem.

Vidi ego adoleſcentulum imberbem , qui cum plures unà eſſemus , caſuque de Hiſtoricis ſermo incidiſſet , reliquique ita loqueremur , ut vix hiſcere , niſi præfato honore , auderemus: Tum ille : Quid hos , inquit, miramini ? quaſi verò omnes non multa peccent turpiſsimè : Herodotus , Xenophon , cæterique Græci , Poetarum ſimiles ſunt, fabularum potius , quam rerum geſ-

Digitized by Google

geſtarum hiſtorici , ac Thucydides obſcuritate ſermonis veritatem obnubit ; Livius autem, ut de Latinis diſtinctius quid ſentiam exponam , ſuperſtitiones aniles conſectatur , & Patavinitatem redolet ; Salluſtius vetuſtatem affectat ; Cæſar glorioſus , Curtius mendax , Florus declamator eſt. Ex Eccleſiaſticis verò , Sulpitius miracula venditat , Theodoretus fuco , & metaphoris ſtudet , Rufinus futilis eſt ; Euſebius , Socrates , Sozomenus favent Hæreticis. Quæ cum diceret, mirabamur in adoleſcentulo tantam, tamque inſperatam , ac repentinam librorum cognitionem. Ac ſi ille tam fuiſſet in occultan-

do myſterio callidus, quam fuerat in loquendo audax proiectuſque, magnam de ſe apud nos doctrinæ opinionem reliquiſſet. Sed accidit peropportunè, ut ille idem amico ſeſe familiaritèr indicaret; ſe illos auctores non modò non legiſſe unquam, ſed ne nomen quidem ſatis cognitum habuiſſe. Se fortè in oratiunculam de ſtudio Hiſtoriæ incidiſſe, atque ab ea, quæcumque protulerat, deſumpſiſſe. Tum verò nos ſtomachari, indignari; ſed quid ageremus? ille nos viciſsim, ut communi ſenſu deſtitutos ridebat, qui cum dies noctesque antiquis hiſtoricis hæreremus, vix hilum pro-

ficie-

Digitized by Google

ficiebamus. Atque ille quidem unam dumtaxat oratiunculam legerat ; quid ſi in aliquem horum auctorum incidiſſet , qui cum novam tradendi litteras methodum ſtabilire velint , eandem volunt antiquorum , & auctorum , & methodorum ruinis conſtratam ? Quàm multa inveniſſet , in quibus ſeſe impudentiſsimè iactaſſet ? Quàm multa de Grammaticis , de Poetis , de Oratoribus cenſoriè dicta ? Quàm multa item de Hiſtoricis , de Philoſophis , de Theologis ? Quàm multa denique de Sanctæ Eccleſiæ Patribus , ſubdolè , & fraudulentèr ſparſa ? An non tantâ doctrinæ copia ſeſe iactaret , & cir-

Digitized by Google

circumſpiceret ? Non alios omnes præ ſe contemneret , & faſtidiret ? Non ſe novum , nec unius tantùm Homeri , ſed auctorum propè omnium Ariſtarchum crederet , & gereret ? Nam ut ii , qui ſunt egentiſsimi , neque unquam à paupertatis ſordibus emerſerunt , ſi aut teſtamento , aut fortunâ quâdam in hæreditatem inſperatam irruant, ſolent ſe gloriofius , ac ſumptuoſius iactare , quam viri ſoleant opulentiſsimi : ita etiam in litteris uſu venit , ut qui ignariſsimi mortalium ſunt , qui nullam unquam diſciplinam profeſsi ſunt, qui nullum item probatum auctorem , ne primis quidem labris

atti-

Digitized by Google

attigerunt, iidem ſint, & in loquendo, & in iudicando proiectiſsimi.

Docti enim homines cum multa ſciant, ſciunt etiam profectò quam non oporteat novitiis quibuſdam opinionibus iudicium deferre; tùm præterea quam modeſtè, ac religiosè ſit de graviſsimis auctoribus loquendum: Nos ipſos ſæpè legendo falli, atque deludi; cur non idem criticis, & novarum methodorum ſcriptoribus eveniat, præſertim cum iidem criminandi ſæpè ſtudio, ac potiùs libidine abripiantur? quamobrem illi ſibi temperant, vixque audent in re etiam levi iudicium ſuum inter-

ter-

Digitized by Google

terponere. Utinam mihi foret omninò integrum, ampliſsimum, & illuſtriſsimum in hac Civitate virum honoris causâ nominare! intelligeretis profectò quæ, & quanta ſit hominum ſanè doctorum moderatio. Hominem quidem illo, & ſapientiorem, & modeſtiorem vidi neminem: qui cum proptèr ſapientiæ laudem de omnibus poſſet iudicium ferre prudentiſsimum; proptèr eximiam tamen animi modeſtiam videtur omnium ſeſe iudicio ſubmittere. Utinam virorum eiuſmodi magnam copiam haberemus! fortunatâ certè uteremur Republicâ litterariâ. Verum homines in contraria omnia plerumque abeunt.

Dum

Digitized by Google

Dum enim volunt ſapientes, atque eruditos, non tam eſſe quam videri; quemlibet auctorem, aut quem ab aliis extolli, laudarique audierint, aut quem in iudicando audaciſsimum ipſi cognorint, arripiunt, & legunt cupidiſsimè, ſententias excerpunt, iudicia, tamquam oracula notant, & mandant memoriæ. Atque illud ſatis conſtat, non ea excerpi, quæ utilia quodammodò, & ſalutaria ſint, ſed ſi quid eſt contrà graviſsimos auctores iniuriosè contortum, ſi quid contrà antiquas, receptaſque opiniones effrenatè, & intemperantèr ſcriptum, ſi quid contrà pias Populorum conſuetudines, religioneſque iocularitèr

dic-

dictum; iſta, inquam, animadvertunt, ſcriptitant, amant, deoſculantur; ſeque iam ſuprà mortalium ſortem exiſtimant, ſatiſque amplam ingenii, & doctrinæ laudem accepturos, ſi eadem liberè, atque audacitèr, & ſcribant, & loquantur.

Miſerum genus hominum! & ad litterarum (ne quid gravius dicam) perniciem natum! Qui id aſſequuntur, ut maximam, in eos auctores, quos legunt, invidiam creent: qui enim illa portenta audiunt cordati homines, fontem ipſum unde derivari eadem putant, execrantur. Deindè illam, quam maximè volunt, doctrinæ laudem, miſerè perdunt.

Cum

Cum enim probè in litteris inſtituti non ſint, tantumque libellum aliquem, aut diſſertatiunculam deguſtarint, fit ſæpè ut vel auctorum nomina, vel operum titulos corrumpant, vel auctoribus aliena opera attribuant. Memini, virum ſanè nobilem, mecum aliquando de litteris ſermonem inſtituiſſe; quo in ſermone, cum antiquos ſcriptores ipſe contemneret, multaque ad eam ſententiam diceret, ſingulorumque vellet tandem errores recenſere: „ Livius, inquit, in Iliada ferendus non eſt; nam, & dormitat ſæpè, & multa Regibus, ac Principibus viris attribuit, quæ vix in homines de trivio

„ ho-

„ honeſtè caderent. At Homerus
„ in Annalibus , quàm eſt audax,
„ proiectuſque ! Nihil habet ſanc-
„ tum , neminem veretur. Taci-
„ tus verò in Decadis aniles fa-
„ bulas perſequitur. Ego ſanè, &
„ Homeri Annales , & Taciti De-
„ cadas , & Livii Iliadam , non
„ modò tenebris , ſed flammis
„ etiam dignam ſemper exiſtima-
„ vi. “ Nec minus ridiculum eſt,
quod non ita pridem audivi de
Cornelio Tacito. Cum enim qui-
dam ſibi Tacitum in ſcribenda hiſ-
toria placere maximè dixiſſet, ſe-
que in eo ſumma eſſe omnia iu-
dicare ; quæſiſſemque ab eo quid
potiſsimum probaret : Tum ille:
„ Nihil , inquit , magis probo,

„ quam

„ quam quomodò Tacitus res geſ-
„ tas Principis Eugenii à Sabau-
„ dia tractaverit. “ Quis iſta cum audiat, Auditores, riſum teneat? aut potius quis non vehementer iraſcatur? mireturque tantam eſſe quorumdam in loquendo audaciam, cum tanta rerum omnium ignoratione coniunctam.

Sed profectò videtis, à quo fonte iſta mala in Rempublicam litterariam dimanent. Nimirum, quòd doctrinæ laudem aucupantur homines, ideò de doctrinis loquuntur: quòd ſtudiorum laborem, qui erat certè neceſſarius, ferre aut nolunt, aut non poſſunt, ideò in magnis erroribus verſantur. Itaque *Compendiis*,

Dic-

Digitized by Google

Dictionariis , *Tabulis* , aliiſque eiuſmodi libellis , quòd ſibi iudicant ad loquendum ſatis , dant operam : principes verò omnium magiſtros , à quibus erat diſciplinarum , atque artium petenda cognitiò , reſpuunt , atque faſtidiunt. Ita etiam fit , ut qui Rhetoricam , aut Poeticam velit, Ariſtotelem , Longinum , Hermogenem , Ciceronem , Horatium, Quinctilianum valere iubeat ; breves , & acutas Recentiorum , ut vocant , *reflexiones* inquirat. Qui verò Rollinum legerit , apprimè ſe in Græcorum , Romanorumque hiſtoria inſtructum putat, tametſi , nec Græcos , nec Latinos Hiſtoricos ſalutarit. At qui Vol-

Digitized by Google

tarium amant (amant autem ſanè multi) hoc uno auctore ſatis ſe munitos, paratoſque iudicant ad universum ſcientiarum genus. Quo de homine, cum mentio facta ſit, & cum multa non poſsim, hoc breviſſimè dicam, eum eſſe, & bonorum omnium oſſorem impudentiſſimum, & diſciplinarum, auctorumque omnium Cenſorem importuniſsimum, & omnis virtutis, Religioniſque hoſtem teterrimum: eiuſmodi tandem, ut qui recens illius opera impugnavit, dignus fuerit, cui Summus Pontifex, & gratias egerit verbis honorificentiſsimis, & aureo inſuper miſſo numiſmate remunerarit.

Digitized by Google

Sed ad cauſam redeamus. Videtis profectò, Auditores, neminem poſſe, ſi hæc ſtudiorum ratio invaluerit, in ulla, ne tenui quidem diſciplina, perfectum evadere. Multa enim ſunt in omni diſciplina, quæ in *Compendiis* ſine crimine deſiderari poſſunt; in homine autem docto, & ſapiente profectò non poſſunt. Neque idcircò exiſtimetis me Compendia omninò damnare; quæ ego potius utiliſsima duco, ut vel adoleſcentibus tradantur ſcientiarum rudimenta, vel ut docti homines, quæ fuſſe ſcripta didicerunt, breviſsimè recolant. Sed qui iis contentus ſit, non dico operam illum omnem, ac labo-

rem

Digitized by Google

rem perdere ; hoc dico tamen, illum ſcientiæ, quam vult perfectionem, nunquam aſſequuturum. Niſi fortè quis exiſtimet, & Baronium, & Salianum, & Natalem Alexandrum compendiculis uſos, tantam ſibi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cognitionem comparaſſe ? Aut eâdem ratione Dyoniſium Petavium tam multa in omni litterarum genere opera edidiſſe ; aut Theologorum, & Philoſophorum Principes, aut Commentatores, aut Antiquarios, aut cuiuſcumque demum facultatis Profeſſores egregios, iis adminiculis ad ſummum doctrinæ faſtigium perveniſſe ? Sed quid ego iſta profero ? Adeò elanguit

Digitized by Google

multorum induſtria, adeò ſcientiæ ardor, conatuſque refrixit, adeò à priſca Maiorum laude deſciverunt multi, ut non modò non æquare illorum gloriam, ſed ne quid nobis ſcribendo illi pepererint utilitatis, & laudis, ſcire velint. Quin etiam uſque eò quorumdam impudentia valuit, ut non modò antiquos, egregioſque auctores non ipſi legerent, verum etiam, ut nequis omninò legat, pro virili curarint. Si quid enim ab illis depromptum ſit, ſi illorum teſtimoniis, aut Græco, aut Latino ſermone expreſsis utamur; id verò clamant nugatorium eſſe, & ridiculum, & puerile; atque ut eorumdem malè feria-

Digitized by Google

ſeriatis verbis utar, hoc *charlataneriam*, & *pedanteriam* vocant. Sua nimirum ipſi leviuſcula ſcripta, breves ſententiunculas, minutulas animadverſiones, verſiculos, facetias, iocoſque nobis volunt obtrudere; magnos autem viros, & diſciplinarum quodammodò Parentes, de loco, & dignitate proturbare. Nimirum iacebunt in tenebris ii, qui ſummum Reipublicæ, ſummum item diſciplinis omnibus ſplendorem attulerunt? Jacebunt, & oblivioni tradentur ii, qui nervos omnes ætatis, atque ingenii contulerunt, ne quid in immenſo ſcientiarum orbe incognitum nobis eſſet, & inexploratum?

tum?

Digitized by Google

rum? Jacebunt in ſordibus ii, quibus, & dum vita fuit eximii ſunt honores habiti, & quos poſt mortem tanta eſt conſequuta gloria, ut non ſolum nomen ſuum, familiamve, ſed Patriam univerſam illuſtrarint? O præclara illa Danielis Huetii nobiliſsimi, ac ſapientiſsimi hominis vox, atque ſententia! Qui enim à prima ætate florentiſsima in Gallia vidiſſet litterarum ſtudia, cumque ad extremam ſenectutem perveniſſet, videretque tùm temporis erumpere ex omnibus ferè Galliæ partibus, *Lexica*, *Indiculos*, *Compendia*, iis applaudi, hæc probari, & legi, dolens litterarum, & Patriæ fortunam teſtatus

tus

Digitized by Google

tus eſt : Hoc uno conſilio periiſſe in Gallia bonas artes, ſeque illarum, & florentem ætatem, & interitum vidiſſe. Quâ quidem doctiſsimi hominis voce, tum verò etiam re ipsâ, & experientiâ, quæ plurimum valet, vehementiſsimè commoveor; voſque etiam, Auditores, commoveri neceſſe eſt. Quamobrem ſi litteras amatis, ſi non tam fucatum quemdam ſplendorem, quam veram doctrinæ gloriam quæritis; ſi eſſe potius, quam ab imperita multitudine exiſtimari ſapientes vultis, ſic habetote : Recentiorum hos libros, de quibus diſputavi, quos plerique deoſculantur, atque habent in deliciis, poſſe viam quodammodò

Digitized by Google

modò ad litteras munire, atque ſternere, poſſe nobis facem præferre, poſſe magno emolumento eſſe, atque ſubſidio, ſi nimirum iiſdem quaſi adminiculis quibuſdam utamur, quibus ad magnos auctores, ad ſcientiarum penetralia gradum faciamus; qui verò in illis ſubſtiterit, & conquieverit, inanem quamdam fortaſſe, vanamque doctrinæ umbram, ſolidam autem, veramque ſapientiam nunquam aſſequetur. Dixi.

IMPRIMATUR:	IMPRIMATUR:
Iſla, Vic. Gener.	*Santayana.*

Digitized by Google

QUoniam facillimum typographis eſt, eiſque qui editionibus præſunt errores aliquos præterire; tu pro tua benignitate, & benevolentia ſi quos repereris facilè condonabis typographo, quî fidei, & veritati ſtudens ita ſuos

Errores Corrigebat.

In 1. Orat.

Pag. 2. lin. 13. vellim. *velim.*
P. 14. l. 7. ſe illitterat. *ſe* delendum.
P. 18. lin. 14. ſie. *ſit.*
P. 18. lin. 15. vehementiſsimt. *vehementiſsime.*
P. 27. lin. 1. nihi. *nihil.*
P. 30. lin. 14. ſubſelia. *ſubſellia.*
P. 31. lin. 5. ſubſeliis. *ſubſelliis.*

In 2. Orat.

P. 22. l. 10. Catheciſmus. *Catechiſmus.*

In 4. Orat.

P. 5. l. 11. pugnatiſsime. *pugnaciſsime.*
P. 15. l. 17. nihi. *nihil.*

Si in alios offenderis tute corriges.

MAG 201428

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google